

Lbc. 9.

C. /
Domini Doctoris

PETRI HEIGII,
IURISCONSULTI CLA-
RISSIMI, ET ELECTORALIS
aulæ Saxonicæ Consilarii fide-
lissimi, piæ memoriæ,

MEDITATIONVM SA-
CRARVM, IN EVANGELIA
Dominicalia;

Prima Pars
edita

Ad ipsius Authoris petitionem,

á

POLYCARPO LYSERO,
S. THEOLOGICÆ DOCTORE,
eiusdem aulæ Ecclesiaste.



WITEBERGÆ,

Typis Wolffgangi Meisneri
M. DCII.

0172

Reich. 112

ILLVSTRISSI-
MIS AC GENEROSISSIMIS
Principibus ac Dominis, Domino
CHRISTIANO, Domino IOHANNI
GEORGIO, ac Domino AVGVSTO, Duci-
bus Saxoniae, Landgraviis Thuringiae, Mis-
niae Marchionibus, & Burggraviis
Magdeburgi, &c. Dominis suis
clementissimis,

*Sempiternam animae corporisq; felicitatem
in Christo Iesu precatur,*

POLYCARPVS LYSERVS D.

h. Tim. 4, 7.



Quod electum illud Dei orga-
num Paulus discipulo suo Ti-
motheo praecipit, scribens: *Exer-
ce teipsum ad pietatem. Nam corpo-
ralis exercitatio paululum habet
utilitatis: at pietas ad omnia utilis est, ut quae
promissionem habeat vitae praesentis & futurae.*
Illud omnes Christiani sibi praecipuum pu-
tent. Etenim, etiamsi in externa societate
hominum ordines distinguantur, ut pro di-
uersitate conditionis seu ordinis alii alia mu-
nera obeant, & pro diuersitate aetatis, ali-
ud hunc, aliud illum deceat: quod tamen
animae curam attinet, ibi nemo negare po-
terit, quin idem studium omnibus ex aequo
incum-

EPISTOLA

incumbat. In Republica quidem aliud decet Regem, Principem, Iudicem, aliud Theologum, Iuriconsultum, Medicum; aliud militem, mercatorem, opificem; & rursus aliud maritum & vxorē, filios & filias, seruos & ancillas. At in Ecclesia nemo siue summæ, siue mediæ, siue infimæ sortis; siue incipientis, siue prouectioris, siue effœtæ ætatis sit, Dei cognitione vacuus esse, nemo pietatis studium negligere, nemo laborem, Deo optimo, Iustissimo, Potentissimo obtemperandi defugere debet. Sed quisq; quam chara ipsi est propria animula, (pro cuius dignitate, splendore, salute tentare nos decet omnia) hanc diligentiam & hoc studium ipsi debet, ut in pietate se exerceat, quo æternæ salutis præmia promissa consequi queat.

At vero pleriq; inquirunt: quænam sint illa media, quæ ad hanc spiritiualem γυμνασίων & exercitationem pertineant? Huic, si serio rem hanc agat, hæc tria ostenduntur: *Lectio, Meditatio, Oratio*. His tribus pietatis exercitatio ex δεισιάζ ad πρᾶξις vsq; deducitur, qua ipsa pietas absoluitur & perficitur.

I. Ante omnia ergo **LECTIO** necessario requiritur ad exercitiū pietatis, propterea, quia animus & intellectus noster natura re- Eph 4.18.
nebris est obscuratus, atq; alienati nos su-

A 2 mus

EPISTOLA

Psal. 119.

105

1. Pct. 1. 19.

1. Tim. 4. 13.

De summo

bono lib. 3.

Lib. 1. Epist.

8.

mus à vita Dei per ignorantiam, quæ est in nobis, propter cæcitatem cordis nostri. Nisi ergo verbum Dei lectum sit lucerna pedibus, & lumen semitis nostris, lucens in caliginoso loco, donec dies elucescat, & lucifer oriatur in cordibus nostris, ne scintillula quidem pietatis è pectore nostro emicabit. Hinc Paulus præcipit: *Attende lectioni.* Et Isidorus testatur, Sanctarum Scripturarum lectionem geminum usum conferre: vnum quod mentis intellectum erudiat, alterum, quod hominem à mundi vanitatibus abstractum ad Dei amorem perducatur. Præclare quoque D. Hieronymus ad Demetriadem scribens, inter alia ex Virgilio, paucis mutatis, dicit: *Vnum illud tibi nate Deo, præq; omnibus vnum, prædicam & repetens iterumq; iterumq; monebo, Ut animum tuum sacræ lectionis amore occupes, ne in bona terra pectoris tui semen lolii auenarumq; suscipias, &c.* Postea ultimo mandato concludit his verbis: *Finem iungo principio, nec semel admonuisse contentus. Ama scripturas sanctas, amabit te sapientia: dilige eam, & seruet te: honora illam, & amplexabitur te. Hac monilia in pectore, & in auribus tuis hareant.*

Sed multi inueniuntur in hoc mūdo magni viri, qui à Scripturarum lectione, ob eius humilitatem & simplicitatem, abhorrent

&

DEDICATORIA.

& ut ille Romanus nugator nugabatur, hæc
 scæ nugas magno viro indignas censent. Tale
 quid Augustinus sibi ante suam conuersionem
 accidisse fatetur. *Scriptura, dicit, visa est mihi
 indigna, quam Tullianæ dignitati compararem.
 Tumor enim meus refugiebat modum eius, & a-
 cies mea non penetrabat interiora eius. Verunta-
 men illa erat quæ cresceret non paruulis: sed ego
 dedignabar esse paruulus, & turgidus fastu, mihi
 grandis videbar.* Hæc Augustinus de se non-
 dum conuerso. Sed hoc iudicium de Scriptu-
 ris tantum est eorum, qui eius dulcedinem
 nunquam degustarunt. Si quis vero grande
 istud supercilium deponat, & ex hisce fon-
 tibus Israelis bibat, re ipsa experietur verum
 esse, quod D. Gregorius alicubi scriptum re-
 liquit: *Scriptura sacra omnem scientiam atq; do-
 ctrinam sine aliqua comparatione transcendit: eò
 quod vera prædicat, quod ad cœlestem patriam vo-
 cat, quod à terrenis desideriis ad superna ample-
 ctenda cor legētis immutat, quod dictis obscurioribus
 exercet fortes, & paruulis humili sermone bladi-
 tur: quod nec sic clausa est, ut pauesci debeat, nec
 sic patet, ut vilescat: quod usu fastidium tollit, & tã-
 nto amplius diligitur, quãto diligentiùs legitur: quod
 legentis animũ humilibus verbis adiuuat, sublimibus
 sensibus leuat: quod aliquo modo cum legentibus crescit:
 quod à rudibus lectoribus quasi recognoscitur, &*

Conf. lib. 3

Lib. Moral
20. cap. 1.

EPISTOLA

tamen doctis semper noua reperitur: quod vno e-
 odemq, sermone dum narrat textum, perdit myste-
 rium, & sic scit præterita dicere, vt eo ipso noue-
 rit futura prædicare, & non immutato dicendi or-
 dine, nouit & ante acta describere, & agēda nun-
 ciare. Hæc ille. Quid ergo augustius & splen-
 didius de vllius libri lectione dici potest, quã
 hoc ipsum?

Quare sacrorum lectionem nemo negli-
 gat. Si quidem sacra nemo sine magno fructu
 legit. Dei enim verbum diligenter lectum,
 nunquam ad Deum vacuum reuertitur: sed
 agrum cordis nostri fœcūdum reddit, & ger-
 minare facit, ut fiant quæ Deo probantur. I-
 deo D. Hieronymus non minus vere quam
 venuste dixit: *Lectio diuina vice speculi nobis
 est, fœda corrigendo, pulchra conseruando, & pul-
 chriora faciendo. Scriptura speculum est, fœda o-
 stendens, & corripit docens.* Hinc Hipponensis
 ille Antistes testatur, Victorinum, virum non
 in Rhetorica modo, sed in omnibus disci-
 plinis adeo insignem, vt Romæ in foro
 statuam meruerit, legendis sacris literis
 ita permotum & affectum fuisse, vt
 tota fere Romana nobilitate, quam is
 erudierat, reclamante, maximo cum Christi-
 anorum

Isa. 55. 10.

In Epist. ad
 Demet.

Confes. lib
 3. cap. 2.

EPISTOLA

anorum gaudio & infidelium mœrore fuerit ad fidem conversus, publiceque baptismum recipere non erubuerit.

II. Ad Lectionem accedere, vel potius eisdem succedere debet **MEDITATIO**, qua id quod in sacris legimus, penitus animo & memoriæ imprimere conamur, simul considerantes, quæ vel mysteria vel beneficia Dei in verbis lectis contineantur, quidue eadem nobis utilitatis, siue ad doctrinam, siue ad consolationem, siue ad correctionem, communicare possint. Hæc enim consideratio nō tantum cauet, ne citō ex animo rursus effluant, quæ ex lectione didicimus, verum etiā efficaciam & virtutem confert, vt vitam nostram refrenare, mores nostros in ordinem redigere, sicq; ea opere complere discamus, quæ Deus in verbo suo nobis præcipit. Recte Isid. de summo ergo Isidorus dicit: *Omnis profectus ex lectione mo bono & meditatione procedit. Quæ enim nescimus, ex lectione discimus, quæ didicimus, meditatione conseruamus.*

Hinc euenire solet, quod etū diuini verbi lectio ad permouendos animos est efficacissima, non tamen æqualiter in omnibus ad pietatem operatur. Causa eius est, quia multi homines non considerant,

EPISTOLA

nec perpendunt, nec meditantur, quæ legē-
runt. Etenim vt cibi corporis si prodesse, &
corporis sustentationem promouere debe-
ant, non tantum assumendi, sed & in ventri-
culo vi caloris naturalis concoquendi & di-
gerendi sunt: ita fidei nostræ mysteria, vt sint
efficacia, & salutifera, nō tantum legere, sed
& lecta atq; percepta in cordibus nostris as-
seruare oportet, vt calore Meditationis &
Deuotionis digerantur. Quod nisi fiat, pa-
rum aut nihil ad promouendum pietatis
studium proficiunt.

Deut. 6. 6. Hanc ob causam ipsa scriptura sacra toti-
es, & tot in locis, assiduā legis diuinæ eiusq;
mysteriorum Meditationē commendat. Mo-
ses dicit: Erunt verba hæc, quæ ego tibi præ-
cipio hodie (& quæ tu legisti) in corde tuo:
& narrabis ea filius, & meditaberis ea sedens
in domo tua, & ambulans in itinere, dormi-
ens atq; consurgens. Et ligabis ea quasi signū
Psal. 1. 2. in manu tua, eruntq; & mouebuntur inter
oculos tuos, scribesq; ea in limine & ostiis
domus tuæ. David quoq; enumeraturus lau-
des hominis iusti & beati, hanc inter primas
recenset, quod legem Dei meditetur die &
nocte. Hoc exercitium etiam commendat
Prou. 6. 22. Salomon rex sapientissimus, dū præcipit, vt
legem Domini circundemus gutturi nostro,
&

DEDICATORIA.

& describamus eam in cordibus nostris, ut cum ambulauerimus, nobiscum gradiatur, cum dormierimus custodiat nos, & euigilantes loquamur cum ea. Deniq; Syracides dicit: *Syr. 14. 22.* Beatus vir, qui in sapientia morabitur, & qui in iustitia meditabitur, & in sensu cogitabit circumspectionem. Qui excogitat vias illius in corde suo, & in absconditis suis intelligens, vadens post illam quasi inuestigata, & in viis illius insistens: qui respicit per fenestras illius, & in parietibus illius figens palum, statuet casulam ad manus illius, & requiescent in casula illius bona per æuum. Quid sibi omnia hæc volunt? nisi quod Spiritus Sanctus per hæc Methaphoras nobis commendet continuam Meditationem & perpetuam Considerationem, qua vir pietatis studiosus semper debet examinare verbum Dei lectum, & Dei mirabilia in eo considerare.

Itaq; si quis quid legit in sacris Bibliis, protinus clausis omnibus sensibus exterioribus & coarctatis suis cogitationibus intra angustias memoriæ suæ eadem repetat, & in cordis penetrali meditetur, si cum fructu & profectu pietatis ea legisse velit. Hoc adumbratum fuit in veteri lege, vbi illa tantum animalia *Leu. 11. 3.* munda sunt pronuntiata, quæ vngulam diuidentia, simul ruminant. Vbi per scissuram vngulæ *Deut. 14. 6.*

A 5

gulæ

EPISTOLA

De amore
Dei.

Gen. 22.14

Gulæ notabatur prudentia in diiudicandis
Scripturæ mysteriis, & per ruminacionem
feria doctrinæ cœlestis Meditatio. Multi e-
nim deglutiunt hunc spiritualem animæ ci-
bum absq; profectu: quia neq; sincero af-
fectu in Scripturarum lectione versantur,
neque quærunt animas suas, tanquam ali-
mento identidem ruminato, reficere. Ideo
D. Bernhardus, si quando partem aliquam
sacrorum legendo absoluisset, mox seipsum
sic allocutus est: *Intentiones, cogitationes, vo-
luntates, affectiones & omnia interiora mea,
venite ascendamus in montem ubi Dominus
videt & videtur. Curæ, sollicitudines, anxietate-
tes, pœna, seruitutes, expectate me hic cum asino
corpore isto, donec ego cum puero, ratione scilicet
& intelligentia, usq; illuc properantes reuerta-
mur ad vos. Reuertemur. n. & heu reuertemur
quam cito?*

Luc. 11.13.

III. Hisce duabus pietatis exercitationi-
bus indiuidua comes adesse debet ORA-
TIO, absque qua si fuerit, reliquæ duæ
magno quidem cum labore, sed exiguo cum
profectu tractari poterunt. Etenim *sine Spiri-
tus sancti numine, nihil est in homine* vt vetus
canit Ecclesia. At Deus Spiritus sui gratiam
nō nisi inuocantib; ipsum suppeditare solet.

Quare

EPISTOLA

Quare á D. Hieronymo recte hæc regula tra-
 dita est. *Orationi lectio, lectio succedat oratio.*
Breue videbitur omne tempus, quod tantis operi
varietatib occupatur. Nam quando sacra le-
 gimus, tum Deus nobis loquitur: quãdo ve-
 ro oramus, nos Deo loquimur. Vterq; labor
 autem & iucundissimus est & fructuosissi-
 mus, si in mediam Meditationem placide re-
 cumbat, in eaq; quasi respiret & paulu um
 requiescat. Quantopere autem necessarium
 fit, vt Precatio reliquis dnob. *γυμνασία* hu-
 ius spiritualis membris adiungatur, id probe
 intellexit sapientissimus idē ac pientissimus
 Rex David, qua de causa tot feruidas & igne-
 asprecatiunculas Psalmorum suorum Medi-
 tationibus immiscuit. Qualis est illa. *vias tu-*
as Domine ostende mihi, & semitas tuas do-
ce me. Deduc me in veritate tuâ, & doce me,
quia tu es Deus salutis meæ. Inprimis autem
aureus ille Psalmus, qui Lectionem & Medi-
tationem diuini verbi præ reliquis commen-
dat, plurimas huiusmodi precandi formulas,
quæ ceu fulgidæ gemmæ in auro splendent,
continet: Reuela ó Domine oculos meos, vt
videam mirabilia de lege tua. Item, viã man-
datorum tuorum fac me Domine intelligere.
Item. Da mihi intellectum, & cõseruabo le-
gem tuã, atq; custodiam in toto corde. Item,
 Seruus

Hieron. ad
Lætam.

August. su-
per Psal.

75.

Psal. 25. 4.

Psal. 119.

v. 8.

v. 27.

EPISTOLA

v. 34.
v. 125.

Seruus tuus sum ego: da mihi intellectum, vt sciã testimonia tua. Item. Benedictus es ô Domine, doce me statuta tua. Plures lubens omitto.

v. 11.

Cui ergo molestum esse possit, regiũ hunc Psaltem imitari, & breuem huiusmodi oratiunculam, vel cum ad legenda sacra accesserit, præmittere, vel cũ absoluta lectione Meditationem instituerit, subiungere? vt sic, ceu per tres *χαρίτες*, Deas Gratias, cœlestem pietatis gratiam à Patre illo luminum, à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum descendit, impetret. Nam qui in his tribus coniunctim sic tractandis aliquid laboris & industriæ posuerit, dubium est nullum, quin talem pietatis fructum inde sit reportaturus, de quo vere illud Christi vsurpare possimus: Ego vos posui, vt eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat.

Iac. 1. 17.

Ioh. 15. 16.

Illustre admodum & luculentum horum omnium, quæ diximus, exemplũ nobis præbet, Excellentissimus & consultissimus, piæ memoriæ, vir, D. PETRVS HEIGIVS, I. V. Doctor celeberrimus, & non ita pridem Consiliarius Electoralis dignissimus. Qui licet maiorem vitæ suæ partem legum studio insumpserit, in eoque præ multis aliis laudabiliter profecerit: non tamen alienum à se iudicauit,

DEDICATORIA.

dicavit, sacra cum legere tum meditari. Quae de causa fatebuntur omnes, quotquot ipsum dum in viuis fuit, familiarius nouerunt, eum in pietatis studio, tam quoad *θεωρίαν* quam quoad *πράξιν* Dei beneficio adeo feliciter progressum esse, ut (absit dicto invidia) multos non in celebres Theologos longo intervallo post se reliquerit. Quod meum de ipso iudicium nec fictum, nec adulatorium esse testabuntur partim haec Meditationes sacrae in Euangelia Dominicalia, quas nunc in vulgus emittimus, tum aliae Miscellaneae, quas paulo post submittemus: quae omnes vel me tacente deprædicabunt, quam *δυνατότερον τὰς ἑξαφάτης* hic vir fuerit. Nimirum non sufficere arbitratus est, quod Iurisconsultus appellaretur, nisi perficeret, ut id cum additione quadam, qua Christianus & pius Iurisconsultus celebraretur, fieri posset.

Act. 18. 24.

Apud quasdam nationes vulgo male audiunt Iurisconsulti, ac notantur, ceu parum essent Christiani. Nec desunt exempla, quibus aliqui dicterium hoc nimis verum esse demonstrant. Sed pius hic noster D. HEIGIVS, ut & alii quidam (Deo sit laus) Iurisconsulti boni, labem hanc, quantum in ipso, eluere conatus est: Dum sacram Scripturam cum pietatis, tum æquitatis inueniendæ tuendæq;
gratia

EPISTOLA

gratia, non tantum sedulo evoluit, sed & diligēti studio meditatus est, atq; has ipsas Meditationes suas, vel ad precationum vel gratiarum actionum formulam aliquam redigit. Quæ formulæ tam plenæ sunt spiritualis devotionis, ex ipsis fontibus Israelis haustæ, ut qui sine pietatis affectione ista legerit, stipitem & truncum, non hominem eum esse oportet. Merito ergo hunc nostrum **PETRUM HEIGIVM**, clarissimo illi & insigni **Causidico Romano Minutio Felici** annuero, quem **Lactantius Firmianus**, & post hunc **D. Hieronymus**, ob excellentem sacræ doctrinæ cognitionem, impense commendarunt. Et certe vellem, me optimum hunc virum, piorum Jurisconsultorum coronam pro dignitate celebrare posse: non dubitarem, quin Deo & hominibus gratum facturus essem. Sed hoc potest esse alterius loci.

Has vero sacras suas Meditationes, Principes Illustrissimi, paucis ante obitum horis mihi tum temporis absenti tradi, à me ad evulgationem adornari, atq; Vestris **C. C. Cels.** ipsius nomine nuncupari, per verbi ministrū, suum (ut vocant) Confessionarium, **M. Balthasarem Meisnerum**, urbis huius Ecclesiastę, petiit. Voluit nimirum extare aliquod **μνημόσυρον** & Memoriale suæ erga domum
Saxoniæ

DEDICATORIA.

Saxonicam gratitudinis, eo quod ad Professionem Iuris in inclyta Academia Witebergensi, ad Scabinatum, ad Dicasterium prouinciale, ad Consilium deniq; Appellationis a C. C. Cels. Vestrarum Domino Auo Electore **AUGUSTO** vocatus, a Domino patre, Electore **CHRISTIANO**, confirmatus atq; insuper a Domino Tutore & Proelectore, **D. FRIDERICO WILHELMO**, in honoratissimum aulici consilii Collegium cooptatus est. Atq; utinam diutius, excellentissimis suis a Deo concessis donis C. C. Cels. V. in statione sua inseruire ipsi licuisset, non tantum ex pietate, doctrina, prudentia & humanitate ipsius amplissimus in hanc prouinciam redundasset fructus, sed & progressu temporis plura tum sacra tum Iuridica proflare possent opera, quibus notū fieri posset, qualis & quantus hic vir fuisset. Qui reuera in recessu plus habuit, quam pro singulari modestia sua fronte præ se ferret.

Sed aliud visum est cœlesti illi rerum omnium moderatori, qui ipsum ætatis suæ anno **XL.** (tum nimirum, quando iam confirmato vndequaque iudicio plurimum prodesse poterat) ex ærumnosa hac vita ad beatas illas electorū sedes translocavit. In cuius diuina voluntate ut & nos acquiescamus,
nec

EPIST. DEDICAT.

nec Doctōri huic cœlestem illam conuersationem inuideamus, æquum est.

Vos autem, Illustrissimi Principes, Domini clementissimi, hasce ipsius Meditationes sacras ab ipso in limine transmigrationis cōstituto, C. C. Cels. Vestr. pio voto dicatas & nuncupatas, benigno vultu suscipite, de-relictam viduam & pupillos clementi vestræ tutelæ commendatos habete, atque huius fidi ac pii vestri ministri memoriam apud vos non penitus intercidere finite. Faxit Deus, vt quæ ipse pro C. C. Cels. Vestris pia vota concepit, suum consequantur effectum, vt in vera pietate adolescatis, diuina sancti Spiritus gratia vos semper regat, ne quid cōtra sanctissimam voluntatem ipsius, verbo declaratam, cogitare, spirare & dicere nitamini: Si quid contra factum fuerit, humanæ imbecillitati imputare & veniæ locum dare velit: omnia deniq; sic agere largiatur, vt ad æternā & debitam Dei laudem ac subditorū utilitatē possint pertinere. Amen. Scriptum Dresdæ primo die Anni M. DC. Seruatoris nostri Iesu Christi, quem C. C. Cels. Vestris & omnibus piis felicem exoriri faciat is, qui omnis felicitatis fons est & scaturigo.

.DOMI-

I.

DOMINI DOCTORIS
 PETRI HEIGII, IVRIS-
 consulti clarissimi,

*Meditationes in Evangelia
 Dominicalia.*

DOMINICA PRIMA AD-
 ventus Christi. Matth. 21,
 Vers. 1.

S It hoc principium meditati-
 onum sacrarum, ut & modum,
 secundum quem ad nos venerit
 Salvator & Rex noster, conside-
 remus: & locum, ubi apud nos di-
 vertere possit, in cordibus nostris
 præparemus. Antequam enim
 visitaret nos Oriens ex alto, pa-
 rari sibi locum præcepit, & clarissimè
 edixit, desertæ Sioni se affuturum.
 Eadem verò desiderio magno
 adventum hunc expectavit, & vel
 ruptis cælis descendere Regem suum
 optavit, rorare cælos, destillare
 æthra instum illum expetivit. Ni-
 hil sanè præter vota & motus à
 Sancto Spiritu excitatos in hoc
 negotio facere poteramus. As-
 cendere ad Salvatorem impossibile
 erat. Deserueramus Creatorem:
 proinde deserti iacebamus, & in
 æternum derelicti mansissemus:
 nisi prior ad nos Iesus Christus,
 Dux & auctor vitæ nostræ.

Luc. i. 76.

78.

Matth. 3. 3.

Esa. 62. 4.

Esa. 64. 1.

Esa. 45. 8.

B

nostræ.

2 D. PETRI HEIGII IC.

nostræ venisset. Cuius regnum semper ad nos venire in familiari oratione optamus.

Mat. 6.10.

Hunc igitur advenientem ad nos Regem & Salvatorem nostrum obvius ulnis excipiamus. Agnoscamus historiam hanc iam dudum voce prophetica prædictam & descriptam esse. Hinc

Psal. 24.7.

Psal 96.13.

Ps. 118. 42.

enim portæ iubentur attollere capita sua, Rex ut gloriosus intret, & ad veritatem Dominum lætis ovationibus fideles excipere: profiteri etiam hanc diem Iehovam fecisse, in qua lætemur exultantes & dicentes: Eia Iehova, serva age: Eia Iehova, serva age: Bene sit ei, qui venit in no-

psa 62. 11.

Zach. 9. 9.

mine Domini. Prædictum iam diu fuit puellæ Sioni: Ecce adveniantem Servatorem tuum. Iubetur eadem exultare vehementer, exclamare lætè: quia veniat Rex suus, qui iustus & victoriosus sit, humilis equitans in asino, & pullo asine nato.

Mos est principum & magnatum inter faustas orationes ingredi primariam Regni urbem. Idem hic Regum omnium Rex facit. Et utcumque humilis sit externus apparatus: tamen non dubijs argumentis divine suæ maiestatis radios pellucere facit: dum obsequentem animalium, quibus utitur, dominum habet, faustissimasque cordibus spectatorum voces educit, & totam Hierosolymam anxiam & sollicitam reddit: per humilitatē ad gloriæ immense fastigium contendens.

CON

MEDITATIONES SACRÆ. 3

Coniungamus & nostras cū fidelibus voces,
& pronis animis, faustis acclamationibus veni-
entem ad nos Servatorem excipiamus. Subster-
niamus adventanti ramos palmarum & vesti-
menta: ut patris fructum nanciscamur: & si ne-
cesse sit, ne pigeat ea, quæ circumferimus, Dei
causa impendere ut ad salutē expeditiores per-
gere possimus. Ne cum sapientibus mundi offen-
damur vilitate externæ speciei Ecclesiæ tuæ, o
Christe Iesu, neq; prohibeamus infantes & ab-
iectum populum, quo minus te laudet & cele-
bret. Sed potius nos illis coniungamus: & vo-
canti tibi pareamus: euntem te ad templum san-
ctum cupidè sequamur: & ibi te deinceps in
verbo & sacramentis, omisis nundinatoribus
& cauponatoribus, quæramus, quoad secunda
vice redeuntem te in nubibus cum sanctis An-
gelis tuis læti rursus conspiciamus: & ex te vo-
cem dulcissimam, Venite benedicti Patris mei,
iucundissime audiamus. Amen.

Mat. 21. 15.

Luc. 19. 39.

Mat. 21. 12.

DOMINICA SIGNORVM

ultimum diem antecedentium,

Luc. 21. vers. 25.

Fidelis est Deus noster, qui nos de futuro mun-
di excidio tam solícite admonet, ut etiam
signa notet, ex quibus adesse diem ultimum

B 2

con-

4 D. PETRI HEIGII IC.

conijcere possimus. Felices ergo si Deo monenti paruerimus in felicissimi omnium, si minanti & monenti non auscultauerimus.

Gen. 1. 14. Creauit Deus in principio Solem & Lunam, ut non tantum tempora, sed & signa esserent. Proinde quid obstat, quin & extremum nobis diem significant: & hac quoque in parte suam erga Creatorem obedientiam probent, & nostram incuriam & contumaciam coarguant? Maxime cum ipsae res creatae, inanimes licet, exerto qua-

Rom. 8. 19. si capite obseruent & expectent reuelationem filiorum Dei. Sed non caelum saltem aduentum illum testabitur, verum & terra, & mare, & in ipso hominum genere non obscura iudicia eiusdem extabunt. Hinc enim terrae motus, tempestates & aliae intemperies deprehendentur: & homines ipsi rerum suarum incerti reddentur, dum in cogitationem signorum & innumerabilium malorum in mundo vagantium inten-

Eccles. 7. 1. ti, & pene exanimati, vix apud se statuere po-

Deu. 32. 25. terunt, vtrum vita morte sit praestantior. Erunt

2. Cor. 7. 5. foris pugna, intus terrores: & adeo sub finem

Matth. 24. ultimum offerabitur mundus, & furore aestua-

6. &c.

bit Satan, ut omnia sursum deorsumque volui, & in tartara secum ante praecipitari potius cupiat, quam ut unus in aduentu Domini in-

1. Thess. 5. teger & incorruptus reperiatur.

23.

His ita fieri incipientibus, non animum de-
sponde.

MEDITATIONES SACRÆ. §

spondere, sed caput, monente Christo & Paulo, exserete, & caput nostrum Christum Iesum expectare iubemur: & cum spiritu & sponsa dicere, Etiam, veni Domine Iesu, debemus. Et quia signa naturalia ad res creatas tam sollicitè rimamur & observamus, cur non etiam cœlestia signa & futura aeternæque vitæ argumenta inquirimus? Perversè iudicant, qui huius vitæ tanto tenentur studio, ut mortis & alterius insequentis vitæ minorem aut nullam omnino habeant rationem.

Igitur & nos signa illa intuentes, meminermus instare tempus, quo tanquam ex diverso ad cœlestis domicilium nobis est commigrandum. Coniungamus & nos cum alijs suspiria nostra, & ad diem illum redemptionis nostræ anbelemus. Quod si in nos ceciderint le viter folia & signa in huius gratiæ tempore, gratis ea animis acceptemus, ut cum in totam mundi machinam duræ arbores & vires maiores, ad illius resolutionem ceciderint, fortiter consistere nihilominus possimus. Nihil enim frustra in libris sacris scriptum extat, quin omnia compleri necesse est: & prius cœlum terramque aboleri videbimus, quàm vel unum apicem sacrorum verborum perire. Agnoscamus & nunc in tanta signorum multitudine folia & signa prædicta: & prope adesse Regnum Dei credamus:

Luc. 21. 28.
Rom 8. 19.
1. Cor. 11. 3.
2. Cor. 5.
8. 9.
2. Pet. 3. 12.
Apocal. 22.
17. 20.
Matt. 16. 3.

2. Cor. 5. 2.
8. 4.

2. Pet. 3. 7.

Esa. 40. 8.
Matt. 5. 18.

6 D. PETRI HEIGII IC.

imo ipsum Regem & Dominum nostrum appa-
riturum cum potentia & gloria multa statua-
mus: vigilemus, & tanquam furem nocturnæ
quieti insidiantem, extremum diem præcauea-
mus. Sonet semper in auribus nostris vox Filij
Dei: Surgite mortui, & venite ad iudicium. Ec-
ce iudex ante ianuam adstat: Ecce venit Domi-
nus, cum sanctis millibus suis. Ecce venit cum
nubibus, & videbit eum omnis oculus.
Tu bone Iesu, iuste iudex, hæc animis nostris
insige, ut parati, te veniente, inveniamur, &
cum electis omnibus simul rapiamur in nubes,
in occursum tuum, accipiamus ex tua manu
immarcescibilem gloriæ coronam: & tecum
semper simus & maneamus, sine intermissione
dicentes: Sanctus, Sanctus, Sanctus Domi-
nus Deus omnipotens, Amen, Amen, Amen.

DOMINICA ABLEGATO-
RVM à Iohanne Discipulorum ad
Christum, Matth. 11. 1.

Inter alia ad ventus tui, ô dulcissime Iesu
Christe, signa præcipuum fuit hoc, quod Ange-
li & præcursoris tui voce, discipuli eiusdem,
ad te iubentur proficisci. Non erat fidus athletæ
sibi, quod tunc agebatur, non parari, sed capi-
tâ

Mar. 1. 2.

Malac. 2. 1.

MEDITATIONES SACRÆ. 7

ti suo, & illi, quem in utero miranda gaudij
specie iam ante exceperat. Non renuit decre- Luc. 1. 44.
scere, ut Christus maiore incremento apud suos Ioan. 3. 30.
inualefcat. Ma vult in se denasci, ut in Christo
Iesu, nostro Zemah & germine iusto, ad æternã
vitam renascatur facilius. Eunt igitur obse- Zach. 3. 8.
quentes discipuli, & omissis rivulis ad fontem Luc. 1. 78.
se conferunt, neq; tantum præiudicatæ opinioni
tribuunt, ut veritatem ipsam omittant.

Sic itaq; nos, ô Deus, & Doctores vivos & mu- Esa. 8. 18. 20
tos magistros audiamus, ut nihilominus utramq;
aurem tibi vocanti patulam præbeamus. Nun-
quam tam cara sint nobis ullius etiã sanctissimi
hominis verba, ut ab hoc Oratore & λόγῳ æter-
ni Patris recedamus. Et quidni ea est verbi E- Esa. 25. 3. 4.
vangelici ratio, ut omnes alias doctrinas & tra- & 35. 4 &
ditiones superet: Nempe hinc cæci vident, surdi 42. 7 & 50.
audiunt, claudi ambulant, leprosi mundantur, 4. & 52. 7.
mortui excitantur, adeoque veræ consolationes & 57. 15.
in omnibus aduersitatibus panduntur. Hinc pau- & 61. 1.
peres & contriti corde bonum nuncium, siue E- Psal. 9. 12. 18.
vangelium, audiunt. Aliæ traditiones & inven- Psal. 10. 14.
ta hominum, etiam piorum, delectare quidem 17. 18.
animum possunt: at in extrema necessitate haud Psal. 12. 5.
queunt firmam præstare consolationem. Hæc no- Psal. 14. 6 7.
ta est puræ doctrinæ, quæ pauperibus Evangelium Psal. 22. 24.
affert, & fremente mundo, Diabolo & morte, 26.
tutissimum receptaculum & præsidium affert.



8 D. PETRI HEIGII IC.

Hoc bonum nuncium & depositum, O Deus
Optime & benignissime, etiam inter nos serua,
Iesa. 33. 7. & da, vt Angeli pacis, à te nobis dati, id ipsum
pulum à corruptelis & fermentis Pharisais
inter nos præstent: vt te hic in Euangelio ve-
nientem sic excipiamus, quo in nubibus in ma-
gna die redeuntem, iterum letis animis dicen-
tem, Venite benedicti Patris mei, & c. audiamus:
& perpetui tuarum laudum præcones sumus &
maneamus. Amen.

DOMINICA MAGNÆ

Legationis Hierosolymitanæ, & ad
eam Testimonij Ioannis,

Iohan. 1. 19.

Mal. 4. 2. 5.
& cap. 3. 1. **Q**uemadmodum clarissimum Solis Lumen
Lucifer præcedit, & diem adesse nunciat:
Ita Ioannes Baptista, verus Dei nostri Angelus
& præcursor, ipsum iustitiæ Solem iam iam ad-
esse monuit. Et fidus quidem hic totus non sibi
delatos honores sumpsit: sed cuius causa legati-
one ista fungebatur, Domino suo Iesu Christo
scribit. Etenim Prophetam illum olim Israelitis
promissum, ipsumque Eliam se esse rectè nega-
vit. Cum Christus Prophetam ille sit vnicus ma-
ximus: & Iohannes in Spiritu saltem Eliam ge-
rat. Affirmat autem se esse vocem clamantis in
deserto, & preparantis viam Domino, & qui-
dem

Deu. 18. 15.

Mat. 17. 12.

13.

Esa. 40. 3.

MEDITATIONES SACRÆ. 9

dem hoc officio permagno & illustri fungentem: indignum tamen esse qui solearum Christi solvat corrigiam.

Fac optime Iesu Christe, ut qui nunc sunt 2. Tim. 1. 11. verbi tui præcones & testes exemplum hoc imitentur, tribuant tibi laudem unicus Prophetæ & Christi: elevent vocem suam ut tuba; sint Esa. 58. 1. humiles, & non sibi suisq; commodis viam sternant: agant quod officij sui ratio & legatio in- Ephes. 6. 30. iuncta monet: sint fideles legati: liberè coram omnibus loquantur veritatem Dei: & nihil morati strepitus sacerdotales & pharisaicos, tuam saltem laudem prædicent.

Nos quoq; non moveamur externa specie ordinaria Ecclesiastica successionis, aut de statu Ioan. 8. 36. nostrarum Ecclesiarum motis certaminibus. Esa. 8. 20. Indignum enim est, ut ab illis in servitutem humanam retrahamur, quos filius Dei in libertatem proprio suo sanguine liberavit. Proinde retineamus hoc Iohannis testimonium, & eodem nos quoque in omnibus adversitatibus & tentationibus hostium nostrorum tueamur scientes baptisma nostrum hoc quoq; testimoniū habere, ut per illud & pœnitentiæ prædicationem complanetur via Domini. Demus operam, ut inter nos versantem Dominum nostrum agnoscamus, & huius vocis, Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi, nunquam oblitiscamur: sed

B 5 eius

IO D. PETRI HEIGII IC.

eius perpetuo memores, tibi Pater optime, cum
Filio & Spiritu sancto, semper laudem dica-
mus. Amen.

I N N A T A L E M

C H R I S T I.

LUC. 2. 1.

Esa. 9. 2.
Iohan. 1. 4.
Luc. 1. 79.
Psal. 107.
14.
Malac. 4. 2.
2 Pet. 1. 19.
Gen. 1. 5. 4.
5.
Iob. 38. 19.
20.
Psal. 18. 26.
Cantic. 3. 1.
Et C. 2. 17.

Salve nox fausta & sancta; quae nulla un-
quam extitit felicior: Nox quae clarissimi
diei lucem superas: imò quae verae lucis princi-
pium existens, mundo universo, in tenebris &
in umbra mortis sedenti, magnam adesse lucem
denunciasti. Hanc noctem Deus in lucem admi-
rabilem convertit: ut Solem iustitiae in cordi-
bus nostris, veram nempe Lucem, Lumen de Lu-
mine aeterno, stabiliret. Qui in principio crea-
tionis universi Lucem, cum Patre & Spiritu
sancto, pulsa nocte creavit, & viam lucis & te-
nebrarum callet optime: idem in media nocte
lucem & gratiam adesse nunciat, qui nostras
tenebras lumine disijcit.

Vere enim accidit Ecclesiae tuae, o Iesu Chri-
ste, quod dulcissime alibi de te scriptum est:
Quaerebat te noctu in lectulo suo, nec invenie-
bat: surgebat, & paululum praetergressa inve-
niebat, quem amabat eius animus, fugiebant
umbrae & dies appropinquabat. Ecce autem id
Ephratae audi vimus; id in sylvestribus agris in-
venimus. Lux oritur iustis, & mente probis
gau-

MEDITATIONES SACRÆ. II

gaudium. Prodit ecce Sponsus noster ex suo lecto
 geniali, ad decurrendum curriculum suum. In-
 tremus in eius domicilium: veneremur eius pe-
 dum scamnum: adoremus præsepe & sanctua-
 rium Domini nostri. Hanc diem Iehova fecit,
 in qua exultemus & lætemur. Agite ergo ap-
 prehendamus hanc lucem; comprehendamus
 quem à patribus nostris, à multis seculis, tam
 valde desideratum nunc invenimus; accepte-
 mus, nec dimittamus, quin salutem hanc & ve-
 ram felicitatem in cordis nostri penetratia re-
 condiderimus.

Psal. 132. 7.

Pf. 118. 14.

Cant. 3. 4.

Gen. 32. 26.

Magna est profecto & nulli hominum satis co-
 gnita Dei gratia, qua erga mundum immundū
 viscera misericordiæ suæ sic aperuit & effudit
 plane, ut & proprii filij, & charissimi sui thesau-
 ri obli-visceretur, eundemque humanam natu-
 ram assumere pateretur. Exortum est in tenebris
 lumen rectis, è misericorde miseratore & iusto.

Luc. 1. 28.

Ose. 11. 8.

Psal. 112. 4.

2. Pet. 1. 19.

Huic igitur attendamus, usq; dum dies illuces-
 cat, & lucifer exoriatur in cordibus nostris.
 O beata nimium culpa, qua redempta est na-
 tura. Servi æterno igni & exitio destinati, in
 regiam adsciscuntur familiam: imò Regis filij
 supplicio, omnium maximo Regi concilian-
 tur. O admirabile commercium! O ineffabile
 amoris divini symbolum! O rem inæstima-
 bi.em! Non sufficit mens nostra cogitando
 vel

vel minimum huius magnitudinis & immensitatis momentum. Ipsa æternitas dies sibi & annos adhuc sufficientes dari postulabit, quo hoc verè magnum munus dignis modis celebremus.

Ergo, ò optime Iesu, memor imbecillitatis nostræ, ne hosce balbutientis linguæ conatus asperneris: sed ut initia futuri illius æterni gaudij, & primitias ineuntis nostri profectus accipe: & hoc in hac vita nobis præsta, ut huius tui sanctissimi muneris participes simus & maneamus. In omnibus adversitatibus te Lumen vitæ cœlestis respiciamus, à te solo pendentes, & dum in his tenebris gradiamur, tibi semper devoti permaneamus. Sanctificasti semel hanc noxam & eam lumine tuo illustrasti. Mane etiam deinceps nobiscum, & quam in cordibus nostris lucem excitasti, porro etiam fove, ut ea nunquã in nobis extingvatur. Adde nobis sanctissimos tuos Angelos, verbi tui ministros, qui in tenebris huius mundi præcones sint lucis & pacis cœlestis: ne magnitudine periculorum extremorum frangamur. Deducant illi nos ad præsepe tuum, ubi tu habitas in verbo & sacramentis, ne per a via deerrantes & latam viam ingredienties à scopo feramur. Fac ut imitati exemplum prudentum virginum, corda nostra Spiritu sancto semper dilibuta habentes, &

Psal. 23. 4.

Luc. 24. 29

Luc. 15. 4.

Matt. 7. 1.

Matt. 25. 1.

bax.

MEDITATIONES SACRÆ. 13

lampades incensas oleo divini verbi præferentes, secundum tuum adventum, ô optime. Spem se, patientes & vigilanter expectemus. & ubi rursus ad nos veneris, parati inventi, tecum ad nuptias, iam dudum electis omnibus iustras, introire, & in omnem æternitatem manere possimus. Amen.

MEDITATIO ALIA.

EVge Lux nostra, quæ illuminat tenebras nostras, venit. Venit desideratus desiderio magno. Apparuit Sol iustitiæ. Prospexit veritas de cælo, & disruptis nubibus descendit ad nos miseros. Iustitia & pax deosculabantur se invicem. Quid nunc amplius salutare expectamus cum Iacobo? Adest imò Immanuel. Ecce adest, voluntatem Patris sui factururus, nostraq; carne indutus. O admirabile commercium! O rem nullis seculis auditam, & nisi facta esset, incredibilem! Vnde enim ordiar? Mirabor Dei benignitatem & intimorum viscerum misericordiam, an hominum felicitatem? Vtrum capere libuerit: certè angustior est mens & anima mea, quàm, ut vel minimam guttam ex tanto mari satis delibare queat. O altitudo bonitatis & sapientiæ Dei! O profunditas divitiarum humani generis! Pro servis extremæ sortis nascitur filius Regis, & illorum, sui omnino oblitus, recidit

Esa. 60. 1.
Sap. 64. 17
Iohan. 1.
Malac. 4. 2
Psal. 85. 11.
12.
Gen. 49.
Esa. 7. 14.
& 8. 10.
Ps 40 9. 10
Esa. 7. 10.
Ps. 118. 23.

cipit sordidam conditionem. Ingredere ô fidelis
 anima stabulum, aulam tanti Regis: attende
 voci Angelorum, merum gaudium in illo tibi
 paratum annunciantium. Sequere totius chori
 celestis iucundas acclamationses & ovationes,
 tanti Regis inauguratione dignissimas. Con-
 templare stellam ad aulam illam te cum Magis
 ducentem. Respice cum pastoribus & Magis ad
 sancta præsepia, & tanti Regis cunabula. Ad-
 ora, ô anima, Regem & Dominum tuum. A-
 gnosce summum sacerdotem. Offer eidem, &
 tanto Domino digna, munera: auri puritatem,
 Psa. 1.6.12. thuris fragrantiam referentia. Vide, ut tua
 causa non tantum Rex & Sacerdos, sed & ho-
 stia Deo patri in cruce oblata fieri voluerit, &
 crucis acerbissimum supplicium sufferre. Mir-
 rhæ igitur dono sepulturam eius honora.

Sed quid ista tantis muneribus collata præ-
 Gen. 32.10. stare possunt? Minor sum Domine non tantum
 his, sed & alijs vel minimis, miserationibus
 tuis. Tu me dignum effice, bonitatem tuam co-

Psa. 51.11. gitando aliquatenus complecti: Circumcide cor
 meum; ablue sordes impuræ natiuitatis nostræ,
 & novum mihi cor, novum spiritum letitiæ
 concede. Benedic ineuntis anni auspicio & pro-
 gressui. Sis tu deinceps quoq; noster Rex & Sa-
 cerdos, qui in humeros tuos nos quoq; recipias;

Esa. 9. 6. cōsilio admirabili tuo regas, ducas & ex omnib.
 malis

MEDITATIONES SACRÆ. 15

malis potenter liberes. Pater æternitatis, Deus
pacis, tui filij semper simus, tibi fidentes & cer-
tò statuentes, nullum tam magnum malum esse
posse, ex quo non tua potentia & benignitate
liberationem & ἔκβασι in te nancisci possi- 1. Cor. 10. 13
mus. Tibi æterno Deo, Filioque Patris, cum eo-
dem & Spiritu sancto, sit laus & gloria in o-
mnem æternitatem. Amen.

IN NATALEM SALVATO-
RIS & sequentis anni statum sa-
lutarem.

Redit iterum lux fausta, qua Salvatoris no-
stri natalitia celebrantur tempora, nullis
conticenda seculis, omnibus prædicanda ætati-
bus. Etenim nisi Christus Iesus natus fuisset, o-
mnes nos denati essemus: qui nunc renati, & ad
vitæ etiam melioris spem excitati sumus. O in-
signem Dei bonitatem, qui servorum & inimi-
corum causa tale reconciliationis nostræ medic-
in venit! O mirandum fœdus Dei & hominũ!
O sacrum divinæ & humanæ naturæ commer-
cium; quod nos ad divinæ etiam naturæ vo- 2. Pet. 1. 4.
cat consortium! Venit nunc benedictum & pro- Gen. 3. 15.
missum patribus semen, verus Siloh, & Pro- Sap. 49. 10
pheta, ex fratribus delectus Rex & Sacerdos Deu. 18. 18-
populi sui. Gloria tibi Opt. Max. Deus,
quod

quod gratiam & veritatem tuam adeo in hoc tuo verè stupendo & admirando opere nobis declarasti, ut facta dictis augustiora & maiora apparcant. Etenim quis legens veteres Prophe-
 Psal. 138. 2. tit. 3. 4. *τασ tanta φιλαυθροπία* putasset Deum nobiscū acturum? Quis non erga homines tantam divinae Maiestatis humilitatem miraretur? Quis
 2. Pct. 3. 9. non adhuc Dei patientiam, qua nostram tot iam seculis pœnitentiam exspectat, stuperet? Amplectamur igitur & agnoscamus bona; deprecemur & declinemus mala nostra, & quæ transacto anno male fecimus, nobis non imputari petamus, de bonis gratiam Deo Opt. Max. agamus.

Eundem & nunc rogo toto pectore, ut hunc ineuntem novum annum mihi, uxori, liberis & charissimis quibusque faustum, felicem & salutarem esse velit, largiatur ille, qui noster est verus Iesus, nobis omnia felicia & bona, avertat infesta & mala corporis & animi. Regat omnes actiones nostras, ut neque cogitemus, dicamus aut faciamus quicquam illi adversum: utque inoffenso pede sic transeamus per huius temporalis vitæ intervalla, ut cum mensuram nostram impleverimus, ad cœlestem vitam, ubi dies & annus cessabunt, & æternitas inchoabitur, transeamus: & cum Angelis & electis omnibus te, Patrem, Filium & Spiritum sanctum absque intermissione laudemus, dicentes

Apoc. 21. 25
 25. cap. 22. 5

&

MEDITATIONES SACRÆ. 17

Et sonantes: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus noster Sebaoth, Amen. Amen. Amen.

IN EVNDEM NATALEM

Salvatoris & Domini nostri IESU CHRISTI: Et sequentis novi anni statum salutarem, cum precatatione pro habitu felici.

Illuxit, Dei gratia, nobis Natalis Salvatoris, à quo nostræ natiuitatis felicioris origo & finis pendet. Lætetur ergò cum sanctis Angelis, pastoribus, matre castissima, & omnibus electis: qui hunc Salvatorem natum esse summopere gavisi sunt. Accedamus ad cunas fratris nostri: miremur Regem & Dominum omnium, propter nos & nostram salutem, de cœlis in hanc miseram pelliculam nostram venisse. Amplectamur hanc insignem $\phi\lambda\alpha\nu\theta\epsilon\omega\pi\acute{\iota}\alpha\nu$, & oblata in filio Dei bona grato animo accipiamus. Fac itaq; nos, O Deus benignissime, huius tuæ natiuitatis quoq; participes, ut, in te credentes, filij etiam Patris tui & cohæredes tui in regno cœlesti efficiamur.

Et quia abiit annus præcedens, gratias tibi pro beneficijs omnibus tuis ex animo agimus, & oramus, ut sequentem hunc annum nobis faustum & salutarem esse velis. Benedic mihi,

C. uxori,

uxori, liberis & cæteris quæ ex te habeo. Tu
 noster Deus & Pater benignissimus esto. Lar-
 gire Ecclesiæ, Reipublicæ & Oeconomia nostræ
 pacem & statum salutarem: Auerte à nobis
 mala & aduersa omnia, quæ pacem hanc &
 cultum à nobis tibi debitum possunt turbare.
 Da vires animo & corpori, ut te in vocatione
 nostra prout convenit, possimus celebrare.

Quoniam verò etiam nunc tempus instat,
 ut secundum superiorem actionem mecum nu-
 per habitam, mihi hinc ad aliam functionem
 discedendum sit, repeto quæ antehac hoc nomi-
 ne à te sum precatus, & oro, ut me indignum
 & inidoneum tanto muneri, tu, cuius hoc mu-
 nus est & actio tota, dignè & idoneum efficere,
 omnibusq; ad id necessariis donis abunde in-
 struere & dicare velis. Fac ut in tuo nomine
 cæptus hic labor non inanis, sed publice utilis,
 tibi vero gloriosus existat. Nullus sum si non
 mecum præsto eris. Adesto ergo te invocanti, &
 tuum consilium & auxilium imploranti. Tue-
 re interim ab omni malo me, uxorem, liberos &
 cætera: & animo corporiq; benedicio. Largire
 in actionibus omnibus euentus salutare: De-
 fende me ab aduersis omnibus, quorum ut in
 loco excelso copia maior & periculosior esse so-
 let. Tuum est scio hoc negotium. Tibi viam
 hanc commendo: tibi confido, tu transiges hoc
 totum

MEDITATIONES SACRÆ. 19

totum. Non moriar, sed vivam, & narrabo o-
pera Domini. Spem habe in Domino anima me- Psal. 118. 17
a, quem adhuc habiturus sum meum præsen- Psal. 34. 50
tem servatorem atq; Deum. Amen. Amen. Amen.

IN NATALEM SERVATORIS
& felicis anni auspiciam.

O gratissimæ temporum vices, quibus ve-
luti in orbem circumagitur & quotidie
renouatur beneficiorum misericordissimi Pa-
tris & Dei nostri memoria. Nunc enim cælum
aperitur, & iustum demittit æther. Venit ad
nos peccatores, qui gratiæ & veritatis plenif-
simus est. Hodie summa imis reconciliantur:
& qui Angelorum cibus erat, humanam car-
nem induit. O insignem humanitatis gloriam,
& diuinitatis humilitatem. Obstupescit mens
cogitando huius mysterii tenuissimas particulas:
tantum abest, ut mare illud & abyssum sapi-
entiæ & bonitatis diuinæ exhaurire cogitan-
do queamus, cum absq; violatione naturæ &
infirmiæ nostræ fieri nequeat, ut ad tanta-
rum considerationum altitudinem ascendamus,
& vix in primis gradibus consistere reperi-
amur. Sed gratia sit ter Opt. Max. Deo,
qui sua nos bonitate tam arte comple-
cti, & indissolubili hoc vinculo unionis
C 2 Personalis

20 D. PETRI HEIGII IC.

Personalis, carnis cum diuinitate, nos sibi col-
 ligare voluit. Acceptemus hoc tantum munus,
 & gratis animis agnoscamus. Impuræ nostræ
 origini per hanc mundissimam medeamur nati-
 vitatem. Intueamur humilitatem, à qua cur-
 sum suum Gigas & Heros hic noster voluit in-
 choare. Imitemur exemplum Regis & Capitis
 nostri, ne nos offendat species abiecta Ecclesiæ:
 cum iam olim regnum suum ita inchoauerit
 Rex gloriæ. Accedamus ad cunas huius gloriosi
 pueruli. Osculemur hunc à Patre nobis datum
 Filium: tribuamus cum sanctis Angelis Deo glo-
 riam: colamus pacem & benevolentiam mu-
 tuam. Monstratum ab Angelis præsepe non fa-
 stidiamus: sed in precio magno habeamus.

Et quia in huius anni exordio nobis Sal-
 uator noster largitur, non tantum quæ per Cir-
 cumcisionem, & in ea emissum sanguinem de-
 notabantur: sed & nomen suum IESVS li-
 beralissimè communicat, agite hoc tantum do-
 num ob vniuersis vlnis & animis acceptemus: cre-
 damus in hoc Salvatore nobis omnem beatita-
 tem offerri & plenissimè exhiberi. Esse IESVM
 nostrum unicum Seruatorem statuamus; quan-
 do non aliud sub cælo nomen sit, in quo ulla ca-
 ro saluari possit. Hunc IESVM agnoscamus,
 invocemus & laudemus per omnem æternita-
 tem. Largiatur nobis hic noster IESVS, quæ
 vel

vel corpori vel vitæ sunt salutaria. Nihil enim ex nobismetipsis efficere possumus, nisi divina & cœlesti virtute robaremur. Ex illius plenitudine omnes gratiam gratis absque ullo merito nostro accepimus, & hucusque Spiritum trahimus.

Velis ergo benignissime & dulcissime IESU, deinceps noster esse Servator; nostra spes & fiducia sola. Ad te suspirat & anhelat anima nostra. Corona nos benignitate tua. Da veniam peccatis anni superioris, & hunc ineuntem annum uxori, liberis, familiæ, & mihi sic benedicere perge, ut quemadmodum antehac in omni vita tuam sumus experti benignitatem: ita & deinceps in tuæ gratiæ & clementiæ sinu foveamur; ne nos, quæ corpori aut animæ nocere possunt, attingant: sed ut in tuæ tutelæ præsidio securi quiescamus, faciamus integris viribus vocationis officia, & nequicquam à tuis mandatis discedentes, custodia pervigili castissimorum Angelorum muniti perstemus, ad versus imminencia mala omnia. Da ut in tuo metu & nominis vera agnitione & celebratione iugiter crescamus & duremus, & cum tibi, ô Deus, visum erit cursui nostro clausulam imponere, largire, ut sana mente & tranquillo animo hinc ad te migremus, & ductu sanctissimorum Angelorum ad te translati, an-

22 D. PETRI HEIGII IC.

nos aternitatis & gloria tecum vivere, teq; Pa-
trem, Filium & Spiritum sanctum, ob omnia
tua benignitatis munera in aeternum laudare
& celebrare possimus, A M E N, A M E N,
A M E N.

AVSPICIIS NOVI ANNI
SALVTARIBVS.

LUC. 2. vers. 21.

Quamvis cum Ecclesia Christiana ante dies
septem novum annum ingressi fuerimus:
juvat tamen & huius diei memoriam in poli-
tia nostra, eodem nomine hactenus celebratam,
meditatione praesenti complecti. Etenim uti du-
plicem in nobis nativitatem agnoscimus, & or-
tus nostri principium partim mundo partim cae-
lo respondet, quatenus in peccatis nascimur &
ab iisdem sacro lavacro abluti ad caelestem vi-
tam regeneramur: Ita duplicis exordij anno-
rum nostrorum meminisse, haud praeter rem e-
rit. Nempe iubemur non tantum carnalis nati-
vitatis nostrae, sed & eius, quae hoc die in Sal-
vatore nostro per circumcisionis ministerium
adumbrata est, regenerationis memoriam ser-
vare incorruptam: & utramq; quidem con-
iunctam habere. Quandoquidem & nasci no-
bis Christum nihil profuisset, nisi idem & no-
stra

stræ natiuitati benedixisset. Nati eramus in Adamo, ut Deo nostro viveremus: sed ab hac felicitate delapsi, & in regnum peccati & mortis translati, maledictam sortiti sumus natiuitatem. Hanc rursus hoc die sanctificare primogenitus fratrum suorum voluit: & non tantum carnalis natiuitatis suæ consortes nos facere: sed & nostram immundam originem ab omnibus fecibus repurgare.

Proinde sic regenerati & sanctificati rectissime Quasi modo geniti novum iam annum cum omnibus electis in stolis albis, depositis coccineis peccatiq; cruore respersis vestimentis, exordimur. Ab eo, inquam, qui longitudo Psal. 102. est dierum nostrorum, & cuius anni non deficiunt, initium anni meritò facimus. Inidonei antea eramus vel ad cogitandum saltem 2. Cor. 3. 9. quicquam Deo dignum. Nunc mutata nostra conditio est. Mutatum quinimo nomen nostrum est: & in librum vitæ tale nomen inscriptum, quod diuina Triade & omnibus Angelis præsentibus in sacro Baptismate nobis inditum memoria repetimus. Neq; tantum nomen huic politiæ seruiens: sed & Christo Salvatore Christiani nominari cœpimus. Quidni ergo grata mente & voce hunc diem celebremus? Ita enim fit, ut cum nomine

C

IESU

IESV annum incipientes, felicissime deinceps
in eo progrediamur.

Gratias verò magnas Deo Opt. Max. ago,
quod is præteritum annum mihi meisq, Ecclesiæ
& Reipubl. nostræ, prosperum esse voluerit,
eundemque rogo, ut hunc instantem etiam an-
num nobis omnibus similiter felicem & saluta-
rem animæ & corporibus nostris esse velit. Fa-
xit IESVS CHRISTVS ut circumciso corde
& ore, puris labijs & mente repurgata, relictis
veteris mundi sordibus, faciamus & cogite-
mus, quæ regno cœlesti & natiuitate nostra

Gen. 32. 27 Christiana sunt digna. Muta dulcissime IESV
28. nomen meum in nomen dulce, & tuo conve-
niens regno, ut te IESVM semper cogitem, tuiq,
sanctissimi meriti nunquam obliuiscar. Bene-
dic uxori, liberis, œconomia, Ecclesiæ & Reip.
Scholæq, nostræ. Tu alpha & Onostrum, principium
& finis omnium. In te nostra oriatur & perpe-
tuetur laudatio.

Imminentia Ecclesiæ mala & præsertim gras-
santem rabiem Turcicam potenter depelle: noli
nomen tuum sanctum ab impuris canibus ulte-
rius blasphemari, ne gloriantur gentes se ad-
versus tuam hanc plantatam & sanguine Filij
tui redemptam vineam prævaluisse. Nos qui-
dem & his & maioribus pœnis non indigni su-
mus: at tui nominis iactura maior, quàm nostra
futura

futura erit. Tu dignus, qui ameris, lauderis in æternum. At illi te non laudabunt: & nos mortui in peccatis gloriam tuam nõ prædicabimus. Exsere ergò tuam potentem dexteram, & ora blasphemantium nomen tuum comprime. Fer nobis auxilium contra hostes magis tuos, quàm nostros, ut erepti ex faucibus leonis te & hic & in omni æternitate celebrare possimus. Corona Psal. 65. 12. annum hunc benignitate tua, & quicquid anime aut corpori nocere potest, clementer averte. Facito nominis tui causa: quod solum honore & gloria dignum est, & ex liberatione tam illustri fiet clarius magisq; conspicuum. Amen.

DOMINICA, QVA MEMORIA Baptismatis Christi celebratur.

Matth. 3. 13.

BENE est, quod Circumcisionem Baptismus excipit. Ita enim conveniebat, ut novum hoc ministerium & sacerdotium novo quodam symbolo ob oculos nobis poneretur: cum quibus, 1. Cor. 3. 1. 2
Heb. 5. 12. ut infantibus & lactantibus, nequedum solido cibo aptis, & rei ipsius seu cælestis gloriæ non satis capacibus, signis etiam agendum fuit, quibus tanquam manu quadam ad ipsum archetypum deduceremur. Matth. 2. 11. Intueamur & nos signa hæc nostra sic, quemadmodum Iohannes Baptistes fieri mandat, ut per aquam hanc spiritu
C 5 san-

26. D. PETRI HEIGII. IC.

sancto nos baptizari credamus. Non parvifaciamus signa, ne eadem rursus amissa frustra aliquando requiramus. Viam qui quaerit, quae ducat ad mare, eum oportet amnem quaerere comitem sibi: Ita & nos in praesepe & stabulo dominico, in Galilea, in his quae Patris sunt, Regem nostrum quaeramus. Hic Domino placuit quiescere, haec sunt convivium sive συμπήσια, quae tibi placent, o Patris Scientia.

Ergo à circumciso Sacerdote nostro Melchisedeo ad Baptisatum transeamus. Pedagagus enim fuit Lex circumcisionis in Christum ipsum. Hoc nato & revelato, cessant vetera: cum nova facta sint omnia. Caelum igitur debinc novum, & novam terram factam intelligere debemus. Etenim in Christo Iesu neque circumcisio quicquam valet, neque praeputium; sed fides per charitatem agens. Debinc rupto intermedii parietis septo, per unum spiritum nos omnes in unum corpus baptizati sumus. Unus est noster Dominus, una fides, unum Baptisma. Bene factum, quod conciliator Dei & hominum, vetera & nova, tamquam amicum in vicem sese contuentes Cherubes duos coniunxit tandem & velum templi discidit, nihil ut nunc gentibus obstat, quo minus & ipsi civitatem hanc Dei novam ingrediantur. Bonus est hic paterfamilias, qui & vetera & nova ex thesauro suo promittit.

Psal. 74. 9.

Heb. 7. 16.

Gal. 3. 24.

1. Cor. 10. 17.

Apoc. 21. 1.

Esa. 65. 17.

St. 66. 21.

Gal. 5. 6.

Eph. 2. 14.

1. Cor. 12. 13.

Eph. 4. 5.

Heb. 10. 19.

c.

Heb. 8. 8. 13.

Cap. 9. 5.

Cap. 12. 24.

Matth. 13.

51.

Psal. 2. 12.

promit. Agnoscamus igitur hanc nostram felicitatem. Osculemur filium, neque oblata nobis munera negligamus.

Porro Regem & Ducem vitæ nostræ in Baptismo sequi nos convenit. Si enim Christum in Baptismo induimus, vestem hanc nostram reverenter habeamus, neque carnis nostræ sordibus eam inquinemus. Hac enim tutos nos adversus iræ Dei fervorem, & ab omni malo securos sola præstare potest: eandem in vestibus pellicis, quas primi parentes nostri gestarunt, adumbratam certum est. Ambulemus igitur in novitate vitæ, & Baptismum nostrum maxime faciamus. Videmus Sacerdotem nostrum suo corpore aquam hanc sanctificasse, ut nobis salutaris existat. Audimus Patrem de cælo pronunciantem, in hoc Filio se tantum acquiescere. Spiritus sanctus in columbæ specie, super hunc surculum radicis Isaicæ, se dimittit. Quam bonus Rex noster, qui primus viam, quam sequi debemus, ingreditur! Quam dulce periculum Ducem hunc sequi! Quam consolationis plenissima vox illa, quæ in hoc solo Filio Dei gratiam & favorem reperiri testatur: quam eandem æternus Pater in secunda revelatione similiter de cælo sonuit, & ita honore & gloria eundem voluit coronare.

Gal. 3. 27.

Gen. 3. 21.

Isa. 11. 12.

Iohan. 1. 14

Matth. 17. 5

Psal. 1. 7.

Isa. 42. 8.

2. Pet. 1. 17.

Spiri-

Spiritus Sancti testimonium, ut diuinum, veneremur. Recordemur columbæ, quæ Noacholi væ folium præferens placati Dei signum attulit, post aquarum eluvionem. Hæc columba præsentem esse nostrum Salvatorem ostendit: eum nempe, quem Noachus & Iacobus expectarunt, coram habemus. Iam aquæ nihil nobis nocent: imò salutare effectæ sunt, & quæ antea iram Dei exequabantur, iam salutari munere defunguntur. Bonus Dominus noster, bene omnia fecit. Benedictum sit nomen Domini, ex hoc nunc & usque in æternum. Amen.

Pfal. 8. 7.
Heb. 2. 7.
Gen. 8. 11.
Gen. 49. 18.
Mar. 7. 37.
Psa. 113. 2.

IN DIE MAGORVM.

Matth. 2. 1.

Ies. 9. 6. **R**ecte Propheta Esaias puerum Iesum Nobis Natum, & Filium Nobis datum scripserat. Igitur & natiuitas illius primùm Iudæis pastoribus. Angelorum voce, deinde & gentibus Magis per stellam in Oriente nunciatur: ut & ad nos Iapetanos, Semi tabernaculorum inquilinos futuros, salutem pertinere credamus: & omni populo gaudium in eodem paratum existimemus. Certe etiam in Gentiliū scriptis, visam esse hoc tempore Stellam miraculosam, reperimus: neq; omnino ignotum fuit, quod Magis solis reuelabatur. Recte Gentilis Vates Balaamus

Gen. 9. 27.
Nu. 24. 17.

stellam

Stellam ex Iacobo orituram prædixit, cuius hæc stella prænuncia existit.

Præcedit hic Lucifer Verum iustitiæ solem: ut & in ministerio prædicationis Regem hunc nostrum præcursor Iohannes antecessit. Hoc nempe tempus illud est, quo Deus signum populis elaturus erat, ut ad ipsum suos natos afferrent, quo Reges educatores & principes nutrices Sionis forent, quiq; demisso in terram vultu eam venerarentur. Venerunt enim ex longinquis terris ignoti antea Israelitico populo, & aurum & thus attulerunt, uti scriptum erat iam dudum de Tarsensibus & Sabæis, Occidentalibus & Meridionalibus, & de Orientalibus idem nunc apparet impletum esse. Et aurum quidem ut Regi excellenti omnium Regum fastigium obtulerunt: utpote cuius caput auro obrizo simile est, qui & speciosissimus est inter filios hominum. Thus Sacerdoti & intercessori nostro inter Deum & hominem convenit: qui solus sancta sanctorum ingressus pacem nobis æternam peperit. Myrrham sepulturæ & passionis eiusdem indicium fuisse, certum est: cui iam dudum cum impio & divite sepulchrum tribuendum vates prædixerat. E-lucet igitur in hoc Immanuele nostro, regni eiusdem & maiestas & humilitas. Iacet amor noster, à cæteris contemptus, ab externis agni-

Mal. 4. 2.

Luc. 1. 78.

2. Pet. 1. 19.

Esa. 49. 22.

23.

Esa. 55. 5.

Sap. 60. 6.

Zach 8. 7.

8. 22.

Psal. 68. 32.

Psal. 72. 10.

Cant. 5. 11.

Heb. 5. 1.

Heb. 9. 4.

Psal. 45. 1. 2.

7. 8. 11.

Esa. 55. 9.

sus



30 D. PETRI HEIGII IC

tus & maximi habitus. Videte suffitum myr-
rhæ & thuris.

Accedamus ad odores istos, & ex plenitudi-
ne nostri Sacerdotis nos quoque decerpamus,
Cant. 1. 13. quod pertinet ad nostrum usum. Fasciculus myr-
& 3. 6. & rhæ sit nobis dilectus noster. Attingamus & fim-
cap 5. 13 briam Iesu, ut salvi simus. Veneremur eius pe-
Ioan. 1. 16 dum scamnum. Offeramus eidem quæ habemus
præstantissima, & nos etiam studeamus bonæ
H. b. 13. 15. fragrantia odorem Deo nostro exhibere: sic par-
ticipes donorum ipsius erimus, & maximo cum
scenore recipiemus, quæ in parva quantitate
& Cor. 2. 14. & qualitate dedimus. Amen.
15.

DOMINICA AMISSI A MA-
tre Filij Iesu Christi, & in templo rursus
inveni. Luc. 2. 41.

Ps. 141. 1. 4. **Q**uam pulchra sunt tabernacula tua, Domi-
ne. Beati qui in ijs habitant, qui ad ca
Psal. 42. 4. reliqua festiva turba in voce exultationis &
Psal. 4. 3. confessionis contendunt. Da igitur ut semper, &
Psal. 11. 1. præsertim cum anima nostræ dicitur: ubi est
Deus tuus? ad sanctuarium tuum, montem Si-
on confugiamus, & cultum tibi debitum cum
Ecclesia præstemus. Recte Hiliel Iudæus. Ne te
segreges ab Ecclesia, neq; credas tibi ipsi usque
ad diem mortis tuæ. Et Nazianzenus: Extra ar-

cam

tam Noë non est salus. Præstat unus dies in a-
trijis Domini, mille alijs. *Malo in Domini mei* Psal. 84. 10.
domo ad linzen esse, quam in aliorum taberna-
culis habitator.

Sed qui fieri potest, ut & hic interdum sub-
ducatur se Dominus, & cor. versantibus secum
subtrahat? Certe placet sapientiæ nostræ hoc mo-
do amoris in nobis divini maiores flammæ ex-
citare. Abesse se simulat, ut præsentiam in nobis
spiritualem stabiliat: & hoc ipso se nobis quam
maxime favere ostendat. Semper in absentes fe-
licior æstus amantis. Et certe fieri fere solet, ut
quo longius à nobis Christum remotum puta-
mus, eo præsentiozem habeamus. Sed inquiren-
di rationem tenere oportet, ut invenire possi-
mus. Non inter notos in vicis & foro reperie-
mus: sed hosce mundi huius custodes prætere-
untes, in domo Patris. Imò, idem interdum non
quærentibus se offert, & cum non putamus, ec-
ce post nostrum astans parietem aspicit per fene-
stillas, per cancellos eminent, & surge anima
fidelis, inquiring, adest.

Cant. 3. 1. 2.
3. 4. & 2. 9.
10.
Esa. 65. 10
Esa. 55. 6.

Quæramus Iesum dum invenitur, eum invo-
cantes, dū adest. Adest enim Salvator noster se-
cum scriptum libri volumē ferens. Facit ille vo-
luntatē Patris sui. Faciamus & nos quæ sunt Pa-
tris cælestis, in libris sacris scripta. Distinguamus
cælum

Psal. 40. 9.

Pſal. 115. 15 *cælum à terra. Cælum cæli Domino, terram autem dedit hominibus. Discat & iuventus nostra*
 2. Tim. 3. 15 *à teneris pietatem & bonas literas, quæ ipsam possint erudire ad salutem. Nos quoq; qui aliquousque progressi sumus per elementa, & lacticiuijs pasti sumus, ad solidum cibum nos par-*
 1. Cor. 14. 20 *remus: & cum puero Iesu crescamus sapientia,*
 Eph. 4. 12. *intelligentia & gratia, coram Deo & hominibus. Malitia quidem pueri, at intelligentia ad-*
 Heb. 5. 12. 13 *ulti simus. Feramur & nos ad perfectionem, ad*
 Etc. 6. 1. 2. *coagmentationem sanctorum, ad ædificationem corporis Christi, donec euadamus omnes in unitatem fidei & agnitionis filij Dei, in virum perfectum, ad mensuram staturæ adulti Christi. Conserua inter nos Domine Scholas & Academies, & hisce nostris collegiis præsens adesto. Ita te nunquam velut absentem requiremus: sed tanquam de præsentem nostro Salvatore gaudebimus & letabimur. Amen.*

DOMINICA NVPTIARVM,
 à Christo honoratarum Io-
 han. 2. 1.

Non abs re putemus hoc primum esse signorum, quod Christus post Baptismum & ingressum ministerij sui edidit. Ille enim ut animarum nostrarum Sponsus, mysterium illustre

Pſal. 19. 6.
 Cant. 1.

in coniunctione maris & foeminae, & sua cum
 Ecclesia consociationis indicium, hoc modo co-
 honestare volens, à nuptiis initium miraculo-
 rum suorum facere convenientissimum esse
 duxit. Magnum quippe mysterium est, fideles
 perinde Christo, ut uxores marito coniunctos &
 copulatos esse. Eius enim corporis membra nos
 sumus, ex eius carne atq; ossibus. Proinde hunc
 sponsum nos quoq; revereamur, omnem illi cul-
 tum exhibeamus, eiusdemq; adventum secun-
 dum cum prudentibus virginibus sedulò ex-
 pectemus.

Psal. 17. 6.
 Cant 1.

Ephes. 5. 32
 23.

2. Cor. 13. 2

Matt. 25. 1.

Commendemus & nostras hasce mundanas
 nuptias Christo, & hunc convivium & socium
 economicæ nostræ habere studeamus: ut cum vi-
 num deficere cœperit, ex eius abundantia, quod
 opus est, accipiamus. Potest enim solitudinem
 aquâ stagnantem, aridumq; solum lymphis sca-
 tens efficere: neq; dubitemus ipsum & fidum
 consiliarium & oportunum auxiliatorem fore.
 Novit enim suos ex tentationibus & malis o-
 mnibus suo tempore eripere. Oremus saltem
 nos, laboremus & speremus, cura pia & secu-
 ra. Ita nihil nobis deerit. Scit optimus paterfa-
 milias nobis his externis bonis ad vitam presen-
 tem opus esse: proinde dabit ea suo tempore.
 Momenta enim temporum ipsemet optime per-
 spectâ habet.

Ioan. 1. 16.

Psal. 107. 32.

Esa. 9. 6.

1. Cor 10.

13.

Rom. 12. 12.

Matt. 6. 32.

Act. 1. 7.

D

Assue-

Assuescamus etiam nos ad cognitionem con-
 suetudinis patrisfamilias nostri. Etenim ubi
 exactissimam nostri curam gerit, alienissimam
 à nobis esse apparet. Verum opportune, post a-
 quam tribulationis, vinum consolationis in-
 fundit: & prima quidem ut ut sint, ultima ni-
 hilominus ut sint suavissima efficit. Habet in ma-
 nu calicem rubente vino plenum turbido, un-
 de fundit ille quidem, sed ita ut eius expressam
 fecem bibant impii. Mundus quidem ex luce
 fumum dant, gaudia primum, postea vero mœ-
 rores exhibet. At noster Dux bene omnia facit,
 primum amara, deinde dulcissima proponit.
 Primo crucem, deinde lucem exhibens. Ergo, o
 bone, deinceps quoque post amaras has mundi
 sordes, nobis quoque bonum vinum in hac vita
 interdum infunde, ut in altera meliore vita
 novum vinum & dulce Nectar tecum bibere
 in regno tuo possimus. Amen.

Luc. 24. 28.

Phil. 4. 5.

Psal. 75. 9.

Psal. 126. 6.

7.

Eccl. 7. 2. 3.

Psal. 112. 4.

Joan. 16. 20

30.

Luc. 22. 18.

30.

DOMINICA SANATI LEPRO-
 si, & celebratæ fidei Centurionis,

Matth. 8. 1.

Nos quoque, dulcissime Iesu, immundiciem
 & lepram nature nostræ agnoscentes ad
 te unicum animarum & corporum Medicum
 accedimus, & tuam opem imploramus. Et lepræ
 quidem

quidem spiritualis medelam ex concione in monte habita, tuoq; benignissimo ore pronunciata petentes, & sine exceptione eandem rogantes, corporales deinde molestias in tuum clementissimum sinum effundimus ita, ut tuæ tamen optimæ voluntati permittamus, an à nobis calicem infusum tollere, consultum existimes. Nam si secus accidat, poculum salutis accipiendo nihilominus nomen tuum invocabimus. Liberati autem ad templum, ad laudes & gloriam tuam prædicandam, properare fas est. Ibi, & orandi & laudandi te, locus est.

Psal. 116. 13.

Psal. 41. 5.

Imitemur & exemplum pii Centurionis, quæ humilitatem & indignitatem suam non tantum, sed & fidem nobis monstrat clarissime. Humilitatem quidem sub potenti manu Dei: at illum rursus Dominus extollit, fidemq; eius toti mundo prædicat. Sunt in Centurione gentium quædam primitiæ: & qui de Iapheti sunt stirpe, similem cum Centurione sortem, si fideles quoq; sint & Semeis tabernaculis asciti, experientur. Ergo age, optime Iesu, nostram quoq; imbecillem fidem benignus respice: & absens etsi videaris corpore, Spiritus tui præsentiam in nobis confirma. Fac ut de omnipotentia & præsentia tua, in voluntate tua revelata, nunquam dubitemus:

Gen. 9. 26.

27.

Ier. 9.

Sed tibi soli semper & ubiq; laudem omnipotentia, philanthropia & veritatis tribuamus. Amen.

DOMINICA PERICLITANTIS
nauiculæ Christianæ, Matth. 8.

23.

Ita comparatum est cum nauicula Ecclesiæ tuæ, dulcissime Iesu, ut in eam huius mundi fluctus magno impetu ferantur. Et qui arcam Noanam tecum ingrediuntur, similem fortunam experiuntur. Sed dulce periculum est, te

Psal. 83. 1. *Ducem sequi. Et quamvis cessare & conuiere,*
Psal. 44. 23. *re, imò altum dormire, videaris: tamen præ-*
Psal. 69. 1. 2 *sens omnia felicissime gubernas. Delectaris no-*
Thre 3. 22. *stris anxietatibus & querimoniis, etiam cum*
55
Psal. 108. 12 *in tantam aquæ profunditatem venire nos pu-*
Psal. 78. 65 *tamus, ut fluctibus obruamur.*

Psal. 65. 8. *Fac ut semper vocem hanc, Domine serua nos, perimus, sonemus: ac ut, excitato veluti è somno Archigubernio classis nostræ, liberationem eiusdem sentiamus. Tu pelagi murmur coercere potes, murmur eius undarum, tumultumq; populorum. Oremus subinde in angustiis, ut hasce tempestates tranquillare digneris, & ut ex fluctibus emersti tandem in optatum portum prouehamur, & tibi laudem & gloriam perpetuo dicamus. Amen.*

Ite

IN FESTO PURIFICATIO-
nis beatæ Virginis, & oblationis pu-
eri Iesu in templo Luc. 2.

22.

TV quidem, optima Mater, ob puerum ut
sanctum natum purificatione non indige-
bas sed peccata nostra in tuum, O dulcis pufio,
humerum suscepta expiationem merebantur.
In te rursus nostra sanctificatur & purgatur
natiuitas: simul per te rursus Patri tuo ut hostia
sancta & pura sistimur: digniq; effuimur, qui
ex atrio templi aliquando sanctum sanctorum
ingredi possimus. Tu præsta ut puris oculis cum
sancto Simeone (illo scilicet tam valde inter i-
psos Iudæos eb sanctimoniam laudato, & in
quo magnæ synagogæ Spiritus desit) te intueri
queamus: & quod in te optimum maximum
est, cum reliqua mundi parte surda aure & ca-
ligantibus oculis non transmittamus. Agnosca-
mus te esse salutem iam dudum nobis promis-
sam, & à patribus tam valde expetitam: in te
nos habere pacem & relaxationem ab omnibus
miseriarum vinculis, quibus in hac seruitute
tenebrarum eramus constricti: iam vero per te
liberati, tibi rursus devoti, & liberalem serui-
tutem seruientes, imò amici tui appellati.

Matth. 1. 2.

Luc. 1. 35.

Esa. 55. 4. 5.

9.

Heb. 10. 10.

14. 18.

Mornæ. de

verit. rel.

Christi. c.

30. p. 670.

Galatin. de

arcan. 1. 1.

c. 2.

Neand.

in testimo.

vet. Heb. p.

2. 6. 355.

Gen. 49. 8.

Esa. 64. 1.

D 3

Aperi

Aperi & oculos nostros, ut te videant; mentem instrue, quæ te intelligat, pedes nostros in viam pacis dirige: ut te gentium omnium liberatorem & servatorem constitutum præsentem semper habeamus. Da nobis ex tuo lumine scintillam aliquam veræ fidei, quæ te quoq, amet, & per quam obscura cordis nostri penetralia illustrentur. Sis & gloria nostra, Israelitarum scilicet nostrorum, ut qui de tuo etiam nomine nuncupati sumus, in te nostro Servatore jure gloriari possimus. Amen.

31.

DOMINICA BONI SEMINIS

& zizaniorum, Matth. 13. 24.

Hic status est Ecclesiæ tuæ in hac vita, Pater optime: ut in eadem semper mali bonis mixti reperiantur. Tu bonum quidem semen seminas, & in creatione mundi totius omnia admodum bene fecisti. Verum mox à malo spiritu zizania cœlesti agro & paradiso, dormientibus parentibus nostris & oblitis mandatorum tuorum, iniecta sunt. Et abiit quidem ille relictis deceptis parentibus nostris: cum quibus & nos æternum derelicti mansissemus, nisi d. λόγος bonum semen, verbum benedictionis, rursus ex sinu patris protulisset.

Cumq;

MEDITATIONES SACRÆ. 39

Cumq; ab eo tempore usq; huc non desierit inimicus odio capitali semen benedictum etiam in membris hostiliter insectari, presta quaesumus, optime Pater, cum Filio & Sancto Spiritu, ut & nos bonum semen reperiamur, renati non ex semine mortali, sed ex immortalis per sermonem tuum, & ut conservati ab eodem, non tãgamur à malo illo. Non offendat nos tristis Ecclesia & mundi totius facies, non peccemus Ze-
lo aliquo intempestivo: sed tuam opem constanter imploremus, tibiq; iudicium permittamus. Fac ut in hac vita inter triticum bonum reperti, & ubi tibi visum fuerit, in communem matris terræ agrum in pace reconditi, requiescamus, quoad post istam sementem ignominiosam, cum gloria in hora messis excitemur, & per tuos bonos angelos in cœlesti horreum cum omnibus electis tuis colligamur. Amen.

Gen. 3. 11.
Esa. 32. 11.
15. 20.
Ier. 12. 13.
Esa. 55. 10. 11.
1 Pet. 1. 23.
Ioan. 1. 12.
23.
1. Ioan. 5. 18
Luc. 9. 34.
Heb. 10. 25.
17. 29. 130.
Ose. 10. 12.
1. Cor. 15.
57. 45.

DOMINICA VINEÆ DOMINI,
& operariorum. Matth. 20.
vers. 1.

Verè Domine tu Pater es noster & vindex,
nomine præditus antiquo. Tu ab initio mû-
di egressus, non contentus gloria & beatitate,
D 4 quam

quam ab æterno habuisti, voluisti etiam huma-
 num genus particeps facere bonorum tuorum,
 Psal. 65. 5. diligens & cooptans illud habitaturum in tuis
 Psal. 5. 1. & porticibus, satiandum tuæ domus, tuæ sanctæ
 Jer. 2. 21. aulæ bonis. Delegisti igitur tibi vineã, in quo-
 Ofc. 10. 1. dam pingui dorso, quam sepiuisti, elapidasti &
 Psal. 74. 9. generosa stirpe conseruisti. Vocasti ad eam ex-
 colendam Prophetas & Doctores, qui non ex
 Jer. 14. 14. suo ingenio aut arbitrio, sed tuo missu & in-
 & 29. 9. stinctu docerent. Verum, contra quam fieri de-
 Ephel. 4. 11. buisset, accidit, ut in vinea hac tua sentes ve-
 Esa. 5. 4. presq; crescerent, & pro vuis labruscæ reperi-
 & 32. 12. rentur. Quin imo ab apris syluestribus eadem
 deuastata, & à feris depasta est. Quapropter i-
 terum & denuo exiens alios etiam sub ultimã
 diei horam conduxisti operarios, in illamq; vi-
 neam nos miseros Iaphetanos transportasti.

Agnoscamus naturæ nostræ infirmitatem,
 quæ verè omni succo consolationis destituta
 est, nisi in tua vinea generosæ viti Filio tuo
 inserta, more palmitum naturalium fructum
 Ioan. 15. 1. &c. ferre incipiat. Largire & nobis pios Pastores
 & Doctores, qui hanc tua manu plantatam vi-
 neam diligenter curent, attendant lectioni &
 doctrinæ: neq; suam ea in re utilitatẽ aut lau-
 1. Tim. 4. 15 dem, sed tui nominis gloriam, contenti tua be-
 nignitate, quærant. Da ut & nos, voci piorum
 ministrorum parentes, assuescamus piis moribus
 &

ex tua benigna manu, quæ sunt nobis salu-
 taria, speremus. Non invidemus aliis hanc fe-
 licitatem: neq; meritis nostris nimium confida-
 mus: cum tu õnes filios tuos per fidem in Chri-
 sto Iesu esse, eosdemq; in baptismo Christum in-
 duere volueris, quos & in unam spem vocati-
 onis vocasti, ut sis unus Deus & Pater omniũ
 per & super omnia, & in omnibus nobis. Ne
 ambiamus esse primi, dummodò in tua domo
 locum reperiamus, in cuius etiam qui sunt li-
 mine, beati sunt. Et quoniam ultima nunc pe-
 ne hora instat, fac quæsumus ut constanter sub
 intemperie æris turbulenti duremus, quoad
 tu per angelos tuos sanctos vocabis palmites,
 & coges electos, ut deinceps tecum in omnem
 æternitatem, vivamus, & te ob hæc tua præcla-
 ra & gratuita munera laudemus & celebrea-
 mus. Amen.

Gal. 3. 16.
 Ephes. 4. 4.

Psal. 84. 10.

Mat. 24. 31.

Recte D. Paulus se & collegas suos admini-
 stros Dei: Ecclesiam Dei aruum, Dei ædificati-
 onem vocat: ubi & plantantium & riganti-
 um laboribus Dominus benedicat: Denarium
 operariis solutum quem alium interpretabi-
 mur, nisi illum ipsum, qui olim dixit se merce-
 dem copiosam Patriarchæ esse, qui pandochæo
 donarium pro nobis exolvit? Merces hæredita-
 tis immarcessibilis, cuius sanguine velut preci-
 o redempti sumus. Et boni sunt operarij, qui

1. Cor. 3. 6.

Gen. 15. 1.

Luc. 10. 35.

Col. 3. 24.

Col. 1. 14

1. Tim. 2. 6.

1. Cor. 6. 20. hoc denario contenti sunt, neque alia admif-
 & cap. 7. 23 cent de suo: qui nihil se profitentur scire, præ-
 1. Cor. 2. 2. ter Iesum Christum eumque crucifixum, & nulla
 Gal. 6. 14. alia in re gloriantur, nisi in cruce Salvatoris.
 Act. 4. 12. In nullo enim alio est salus, recteque alibi di-
 Heb. 13. 8. citur: Iesum Christum esse heri, hodie & in se-
 cula.

DOMINICA BONI SEMINIS
 sparsi in dissimiles agri partes.

Luc. 8. 4.

Recte abs te dulcissime Iesu iam dudum pro-
 nunciatum est, Patrem tuum esse agricolam.
 Stillant ex sua vissimis labijs tuis parabola, res
 caelestes facili stylo describentes. Tu in humano
 genere, quod pro aruo incundissimo semper de-
 legisti, non tantum semen optimum tui verbi
 spargere voluisti: sed & te λόγος ipsum, ger-
 men longe præstantissimum, ex alto ad nos de-
 misisti, ut sub isto surculo, ex caudice Isai pro-
 deunte, semen aliud pacis æternæ tibi suscita-
 res. Ex animo dolemus tantam esse glebæ no-
 stræ duriciem, ut licet ferreo legis stylo & ad-
 amantina cuspide contundatur: tamen vix sen-
 tiant se agrotare. Tantam præterea rabiem esse
 Diaboli, ut boni seminis fructum, in agro etiam
 bene præparato, excitatis vepribus & sentibus,
 suffocet.

Quo

Ioan. 15. 1.

Mat. 15. 13.

Psal. 45. 2.

& 78. 7.

1. Cor. 3. 9.

Mat. 13. 35.

Zach. 3. 8.

Luc. 1. 78.

Esa. 11. 1.

Zach. 8. 12.

Esa. 17. 1.

Quocirca ad te, optime agricola, confugimus,
 qui corda scrutaris & renes, exempto de corpo-
 ribus nostris lapideo corde, da nobis cor carneū,
 Spiritumq; novum in nostro pectore renova.
 Noli committere, ut semen sanctum tuum ad te
 sine fructu redeat, aut in tam eleganti agro, in
 turpopuli terra fentes vepresq; crescant. Fac ut
 serio cogitemus de futura messe, ut relictis spi-
 nis, ad frugem nos meliorem comparemus. Re-
 licta ariditate naturæ nostræ, ad te optimum ri-
 vum radices porrigamus, ut æstus ad ventum
 non sentiamus, & secuti siccitatis annorum fru-
 ctum edere non intermittamus: & ut ut cum
 lachrymis interdum semen sanctum excipiamus,
 deinceps cum exultatione & cantu die magna
 messis metere possimus. Ne venti, sementis stu-
 diosi, tempestatem metamus: sed pietatem semi-
 nantes, & primore serioreq; pluvia cœlitus de-
 missa irrigati, fructum pro mensura gratiæ tuæ
 feramus. Scrutemur cum discipulis tuis myste-
 ria regni tui: neque nostra culpâ ea nobis oc-
 culta maneant. Utamur auribus, oculis & in-
 strumentis abs te benigne concessis. Studeamus
 emendare naturæ nostræ pravitate: Ita enim
 & nobis dabitur, & semel Christo induti ex cœ-
 lō superinduemur: & qui more granorum ter-
 restrium in terram hanc condimur, aliquando
 cum

Ier. 17. 10

Ier. 36. 26.

Psal. 51. 11.

Esa. 55. 10.

Esa. 32. 12.

Ier. 4. 3.

Esa. 28. 23.

Esa. 56. 3.

Ier. 17. 8.

Psal. 1. 3.

Ier. 37. 4. 5.

Psal. 126. 6.

Iac. 5. 7. 8.

Esa. 32. 20.

Ioel. 2. 23.

Ose. 6. 3. 11.

Sap. 8. 7.

Sap. 10. 12.

Luc. 8. 9. 18.

16. 17. 18.

Ioan. 5. 39.

Gal. 3. 27.

2. Cor. 5. 2. 3.

cum gloria excitabimur & te semper laudabimus. Amen.

1. Cor. 15. 37

43.

DOMINICA CHRISTI, PRÆdicentis suam mortem & Resurrectionem discipulis, & restituentis cæco visum, Luc. 18. 31.

TV quidem, Fili Dei, infirmis discipulis, regni tui externam formam fideliter secundum scripturas exposuisti: verum imbecillior ipsorum & angustior intellectus fuit, quam ut assequi & capere modum veritatis tuæ potuerit. Verissimum est non venire regnum tuum cum observatione: & crediderunt pii discipuli, Regem te omnium maximum esse: sed modum illum regni & maiestatis ex cruce & afflictionibus tuis appariturum, id vero erat, in quo semper haeserunt: & in quem lapidem pars hominum maxima semper offendit. Hac illa spiritualis cæcitas est, quæ ad cælestium cognitionem nos pertingere vetat: cuius & memorabile exemplum in corporali Bartimæi cæcitate depictum habemus. Scilicet hoc nos offendit, quod qui regnare debet, subditus est omnibus, imo vermis non homo putatur, iustus, peccator, liber, servus existimatur: imo cum reis & damnatis pari loco habetur: in cruce gloria, in

pœna

Luc. 17. 20.

Matt. 11. 6.

Luc. 9. 4.

Esa. 28. 14

1. Cor. 1. 23.

Psal. 22. 7.

Esa. 53. 2. 3.

pœna præmium, in morte vita quæritur.

Sed bene quod discipuli nihilominus suo Doctori adherent, neq; quia non satis verba Doctoris intelligunt, ideo eum deserunt. Optime autem factum, quod qui etiam oculis corporalibus orbatus eras, tam acutè Christum Salvatorem fide intuerur: & ubi vel ex fama præsentiam Domini agnoscit, abiecto pallio ad lumen reuelationis gentium festinando coniecit: & eandem qui à gentibus misere affligendus erat, illorum nihilominus lumen fore confirmat.

Ioan. 6. 66.

Luc. 2. 32.

Fac bone Iesu, ut & nos abiectis impedimentis omnibus, quæ viam nobis ad te præcludunt, sine cunctatione ad te anhelemus, abs te lucem petamus, & cum pio Bartimæo te nostrum magistrum, Lumen & Salvatorem, Davidi jam dudum promissum, à Patriarcha Iacobo exoptatum, & ab omnibus piis Veteris Testamenti incredibili desiderio expetitum, appellemus, & in omnibus nostris corporalibus & spiritualibus angustiis firmiter agnoscamus & retineamus, ac à te suscepti & liberati, te deinceps indesinenter sequamur & laudemus. Amen.

Mar. 10. 51.

Psal. 9. 20.

Psal. 18. 28.

Psal. 112. 4.

Esa. 9. 1. 2.

Et 60. 1. &c.

Gen. 49. 18.

Esa. 64. 1.

DOMINICA CHRISTI TENTATI a Diabolo, & triumphantis de eodem superato. Matth. 4. v. 1.

Hæc

HAEC uia post Baptismum, optime Iesu, conditio & mens fuit, ut statim, à spiritu in deserto expulsus & à Diabolo tentatus, doceres, Christianos omnes tibi per baptismum insertos, in deserto huius mundi & exilio à paradiso caelesti vagantes, inimicitias statim experiri hostis generis humani & membra suo capiti conformia fieri oportere. Et felices quidem nos, si huius tui documenti tyrocinium convenienter edere queamus: & non tantum lucta, sed & victoriae tuae participes vocemur.

Pungit nos quoque, Diabolus aculeis diffidentiae, superbiae & avaritiae, & in multis magnisque ingenijs, ex diffidentia divini auxilij, cupiditate honorum & pecuniae, tristia mala in Rempub. Christianam redundantia orta sunt: quibus quidem ictibus & primos parentes hostis iste aggressus est & decepit. Verum in posteriore hac pugna dissimilem exitum res habuit. Primus enim Adam animal vivens: posterior autem Spiritus vivificus. Et ut ille terrenus homo: ita hic homo & Dominus è caelo. Proinde & nos, qui imaginem gestamus terreni, caelestis quoque imaginem gestemus. Non pigeat nos stare cum Christo sub cruce: cum prius ille nostra causa etiam cruci affixus sit. Tentatus est ille prior, perpessusque fuit durissima, quare & *sensa*

Rom. 8. 17.

2. Cor. 8. 9.

Philip. 2. 5.

1. Cor. 15. 45

Hebr. 2. 17.

18.

Sensu afflictionum nostrarum ducitur, & misericordia afficitur, ut & nos ex tentationibus mature eripiat.

Certe qui nomina Christo in Baptismo dedimus, & tesseram militiæ huius accepimus, nil aliud cogitare decet, quam habere nos ad versarium Diabolum, tanquam leonem rugientem, cui etiam resistere oporteat per fidem. Imo si salvi esse volumus, universam nos Dei armaturam, armaq; dextra & sinistra assumere necesse est, cingi videlicet veritate, indui thorace iustitiæ, calcari pedibus præparatione Evangelij pacis. Itinamq; instructi, assumpto fidei scuto, galea salutari & gladio spirituali, hoc est, verbo Dei acceptis, non frustra pugnabimus aërem, feriendo, sed facile omnia Mali illius ignita tela extinguemus, & exemplo Salvatoris & Ducis nostri victores ex certamine redibimus. Illud unice studentes, ut in tota hac militia fidem retineamus & bonam conscientiam. Ne putemus meliorem conditionem nostram fore, quam Christi, exemplaris scilicet atq; archetypi: & si regnare cum ipso volumus, affligi patienter sustineamus.

1. Pet. 5. 8. 9.

2. Cor. 6. 7

Eph. 6. 13.

Cor. 9. 26

1. Tim. 4. 19

Miremur divinæ voluntatis dispensationē, qui etiam Diabolo permisit se contrectandum & portandum extra ordinem communem.

Vere

Isa. 53. 7. Vere ut ovis ante tonsorem istum malum obmutuisti, non rapiens usum diuinitatis: sed idem opportune ouicularum tuarum memor, non passus es perpetuo dominio infernalis leonis subiectas esse; neq; semper altum dormisti. Itaq; mature excitatus, velut heros à vino vociferans, hostis huius tergum cecidisti, & gloriosissimam de deuicto Diabolo victoriam reportasti. Da optime athleta & Gigas præstantissime, ut huius tuæ quoq; victoriæ in omni vita & morte ipsa participes simus, & in afflictionibus nostris comites sanctos tuos angelos habeamus. Amen.

DOMINICA INSIGNIS FIDEI prædicatæ in muliere Chananaea, & sanatæ eiusdem filiæ, Matth.

15, 21. Mar. 7. 24.

ERgòne optime Saluator ita discedere paulisper & ab edendis miraculis quiescere tibi constitutum, ut statim novam insignis rei gerendæ materiam captes? Tu nempe ad id à somno expergefactus es, ut lassas animas conspergas. Secedis à furoribus Pharisaorum, & ecce alienus populus te querit, & illustriore fide tua beneficia complectitur, quàm illi ipsi, quibus primum promissio facta erat. Id in Censurione

Ier. 31. 25. 26

Ose. 1. 9. 10.

Esa. 55. 5.

Esa. 56. 3. 4.

Matth. 8. 10

et in hac Cananea liquet clarissime. Hæc enim, quanquam aliena à Repub. Israelis, misericordiam tuam, ô Misericordissime Iesu, adversus Diaboli rabiem implorat. Et quamvis nullo donata responso, et discipulorum intercessione nihil sublevata: imo acerbissima appellatione impuræ caniculæ explosa esset: tamen in oratione indefinenter perdurat, et denique cum insigni elogio præcellentis fidei exauditur.

Agnoscamus, te interdum non respondere precibus et votis nostris: sed ad interpellationes repetitas quasi obsurduisse videri. Pungit nos indignitas nostra. Scimus nos immundos canes esse, jamdudum ex cælesti atrio deiectos, et indignos porcos, quibus margaritæ tuæ gratiæ communicentur. Ipsemet quinimo ab eiusmodi canibus omnia durissima perpersus es: ac licet redemptionis tuæ precium ad omnes pertineat: noluisti tamen statim id omnibus annuciari, sed Israeli primum: ac deinceps nobis etiam fugitiuis et extremæ sortis servis, qui jure filiorum jamdudum excideramus, temet revelasti, et non tantum Israelis gloriam, sed et nostrum lumen te esse declarasti. Discipuli tui obtundi se te repetitis interpellationibus ægre ferunt: quanto magis tu misericordiæ affectu ardebas, qui iniquo iudice viduæ interpellationibus

Psal. 77. 7.

Psal. 22. 1.

Psal. 102. 1.

Matt. 7. 6.

Phil. 3. 2.

1. Reg. 25. 11

Psal. 22. 6.

20. 29. 30.

Psal. 55. 17

Psal. 59. 6.

Matt. 10. 5.

6.

Luc. 15. 19.

Luc. 2. 23.

Luc. 11. 8.

tionibus tādē cedente, longe æquior justior es.

Rom. 4. 18.
Ebr. 10. 36.
Et cap. 11.
Iacob. 1. 6.
2. Pet. 2. 22.
1. Thes. 5.
17. 18.

Ecce autem quo tu telo à te abigere mulie-
rem conaberis: eodem te superari apparet. Sic
enim dicta & cogitata formabas eius, ut unde
necessitas allata erat, illic remedium statim ex-
taret. Bene vero si hoc modo in pugna in spe
contra spem nos gesserimus, & sermonē fidei ad
finem usq; constanter tenuerim: neq; ut canis ad
vomitum redierimus: sed indefinenter oremus
& in omnibus gratias tibi agamus, qui cum
Patre & Spiritu sancto vivis in secula. Amen.

DOMINICA CHRISTI EII-
cientis Diabolum, & sanantis cæcum
& mutum. Matth. 12. 22.

LUC. II. 14.

Vere tu fili Dei, noster Siloh & Gigas Iacobo
& Davidi promissus, ideo in carne appa-
ruisti, ut destruas opera Diaboli & modo mira-
bili per mortem eum, qui mortis habet imperiū,
aboleas. Agnoscimus captivos teneri etiam o-
mnes sensus nostros, nisi tu solutis vinculis ca-
ptivam duxeris captivitatem nostram. Cæcuti-
mus ad tuos, o Sol iustitiæ, radios. Obsurdimus
& muti facti sumus, surdis auribus divina
mandata prætergressi, nihilq; præter vanitates
seculi & demonis placita loquentes. Venisti
igitur, ut servares ea quæ perierant. Colligis
subinde

Cen. 49. 10
Psal. 19. 6.
Psal. 78. 66.
Psal. 24. 8.
1. Ioan. 3. 8.
Heb. 2. 14.
Psal. 68. 19.
Esa. 42. 7.
Eph. 4. 8.
Oie. 11. 2.

Subinde dispersum & errantem inter lupos gregem tuum. Et o felices nos, si benevolis tuis & sermonibus & actionibus aures & animos fideliter præbentes, grata mente tua dicta factaq; custodierimus. Miremur, quæ rimari non possumus: nec si ea nos fugient calumniemur, aut manifestæ veritati adversantes inter blasphemos reperiamur. Contenti simus tuo verbo satis manifesto, neq; aliunde quid novi nostra causa ad illud addi postulemus. Sermo tuus veritas est, licet univ ersus mundus inficietur. Sunt in hoc mundo duo imperia contraria: sed tua signa præferimus libentissime omnibus mundi immundi fallacibus triumphis. Nemo siquidem est, qui pro ea potestate imperet impuris spiritibus, ut tui quicq; tam fideliter, adversus omnes inferorum portas, Ecclesiam & in eâ gregem suum defendat.

Mala 4. 2.
 Matt. 18. 11.
 Ioan. 10. 11.
 Ezech. 34. 11.
 Matt. 10. 25.
 Et. c. 11. 19.
 Ioan. 17. 17.
 Ioan. 12. 31.
 Et c. 14. 30.
 Psal. 60. 5.
 Mar. 1. 27.
 Luc. 4. 36.
 Mat. 16. 18.

Fac ut semper in tuis castris militantes tesseram vocationis nostræ diligenter custodiamus: ne locum Diabolo demus. Sed victum illum jam olim cogitantes, & Christi promissionum memores, sic nos geramus, ne leo iste rugiens & musca susurrans tægere nos possit. Sten. cõstater à partibus tuis, ut sub gloriosa crucis tuæ signo, in oratione & ieiunio Malũ istum vincamus: & post huius miseræ luctæ insultus, deinceps in te verã pacem & quietem nanciscamur. Amen.

1. Tim. 1. 18.
 Eph. 4. 27.
 1. Ioan. 5. 18.
 1. Pet. 5. 8.
 Rom. 1. 30.
 Mat. 17. 21.
 Rom. 8. 17.
 1 Ioan. 7. 13.

52 D. PETRI HEIGII IC.
DIE ANNUNCIATIONIS AN-
gelicæ, & concepti in aluo beatæ vir-
ginis IESV CHRISTI LUC.

I. 26.

1. Cor. 15.
45. 47.

Merito dies hæc ut heroïca à Christianis om-
nibus prædicatur, multisq; aliis excellen-
tior habetur. Hæc enim illa est, quæ primum
Adamum ex terra produxit: & eodem statim
lapso secundi venturi cælestis Adami spem cer-
tam non tantum mæstissimis parentibus nostris
præbuit: sed in Abeli cæde, Noana ex aquis e-
luctatione, Isaaci ad supplicium in Moria monte
destinatione, Lothi ex Sodoma excessu, Iacobi
cum angelo mirabili lucta, Iosephi à fratribus
crudelibus ab alienatione, Ionæ in ventre Ce-
ti marini excepti casu, memoriam futuri im-
maculati agni in mentibus piorum subinde re-
novavit. Eadem lux fausta ideo: quia operan-
te sanctissimo Spiritu tunc uterus castissimæ
virginis fœcundatus, Salvatorem & Silohæ
nostrum concepit, & post novem menses perfe-
ctum hominem Deumq; in una persona produ-
ctum videre & tangere licuit. Eadem lux, post
expletum hoc terrenum curriculum, morti quo-
que eum, qui vitæ est fons & origo, subiecit.
Hanc igitur diem Iehova fecit, qua lætemur &
exultemus.

P. 118:14.

Beni-

Benignissimus Pater in filio hoc incarnato, nos quoque extorres & exules cœlesti patriæ per adoptionem reddere gestit. Filius non horruit virginis subire uterum, & infirmam humanæ nostræ naturæ pelliculam assumere. Spiritus sanctus, qui initio creationis uniuersa incubando aquis fœcundabat omnia: in hac omnium $\pi\alpha\lambda\iota\gamma\gamma\epsilon\nu\epsilon\sigma\iota\alpha$ massa terrena & infirmæ rursus incubando, præstantius quiddam operatur: quale nulla unquam secula protulerunt, & quo cogitando mens humana expleri nequit, sed tuendo & considerando pie magis magisque ardescit. Equidem ut à ligno olim dulcis facta est aqua in deserto, quam propter amaritudinem Israelitæ bibere non poterant: Ita in Maria naturæ nostræ exemplo, ut quæ nil, relicto fronte uiuo, nisi amaror & error est, evidentissimo, lignum hoc vitæ repertum dulcedinem excitat mirabilem: ut vere dicere liceat, Deum noua omnia fecisse: & regnare ipsum à ligno.

Canticum igitur novum cum veteris testamenti Maria, & virgines & pueri, canere debent, & orientem ex alto altissimi filium osculabantur. Credant voci angelicæ, & in hac conceptione se quoque cum Maria benedictionem & gratiam habere statuunt: cumque Davide maximi faciant, quod in forma hominis Deus invisibilis mundo apparere voluit.

Gen. 1. 2.

Exod. 15. 13.

25.

Ier. 17. 13.

Esa. 43. 19.

Psal. 96. 10.

Exod. 15. 20.

Psal. 148.

12

Psal. 56. 2.

Luc. 1. 78.

Psal. 2. 12.

1. Reg. 7. 19

Ioan. 1. 13. Quanta quæso hæc est φιλαυθροπία omnes o-
 2 Tim. 1. 7. mnium amores complexa, quæ non angelos, sed
 1 Tim. 3. 16. semen Abrahamæ assumpsit. Ponamus cum Maria
 Tit. 3. 4. timorem, & spiritum roboris, charitatis & sa-
 Heb. 2. 16. nitatis, virtute ex alto demissa induti accipi-
 Luc. 1. 30. entes, seruiamus huic nostro Emanueli omni-
 74. 75. bus diebus vitæ nostræ, Amen.

DIO M L N I C A C H R I S T I P A -
 scentis abundantissime gregem suum
 quinq; panibus & duobus pisci-
 bus; Ioan. 6. v. i.

Luc. 8. 42. **T**alis Ecclesiæ sanctæ & gregis à tuo ore pen-
 Phil. 4. 6. dentis ratio est, Iesu Christe: ut qui te solū
 querit, & de nulla re præterquam te ipso, quo
 uno tantum nobis opus est, laborat: is etiam in
 Psal. 17. 14. mediis angustiis tua copia abundanter satietur.
 Psal. 22. 26. Sint impiorum ventres tuis repleti bonis, pena-
 Psal. 65. 4. riarumque alte referta: at beati nos, si te Deum &
 Psal. 144. Patrem Salvatoremq; nostrum laudauerimus.
 12. 4. 7. Quæramus & nos primum regnum tuum: ita
 Matt. 6. 33. enim reliqua δεύματα adicientur nobis. Sati-
 Psal. 4. 7. bimur sanctæ & diuitis tuæ aulae bonis: &
 Psal. 36. 8. in aliorum inopia, leonum & diuitum huius
 Psal. 34. 10. seculi, nulla re necessaria indigebimus.
 Deut. 18. 18. Tu ô benignissime Iesu Propheta es patribus
 Psal. 77. 14. promissus, qui solus noua & admiranda in

conspectu omnium facis opera. In inopia copi-
 am, in fame saturitatem, in ariditate stag-
 nantes aquas, in fletu risum, & pro huius mu-
 di temporalibus ærumnis æterna gaudia repo-
 nis. Fac ut & mores nostri alieni sint ab a-
 varitia. Putemus questum esse magnum pieta-
 tem cum animo sua sorte contēto. Meliorem esse
 gratiam cœlestem, quam cibum terrestrem. Boni
 consulamus præsentia, statumq; victum: medi-
 um iter inter paupertatem & divitias ince-
 dentes: ac Deum oremus, ut quæ ex manu eius-
 dem accepimus: ille idem nobis copiose ad fru-
 endum præbere velit, ne cum ad multum spe-
 ctamus, neglecta ad te tua sacra, parum id esse de-
 prehēdamus. Ne ad hunc caducū cibum, sed uer-
 bum tui oris animum advertamus: illud vi-
 tam & summum gaudium nostrum statuentes.
 Ita enim etiam inter geminarum lacrymarum
 cibo, potuq; melle dulciorem panem aquamq;
 etiam usq; ad senectam & apud posteritatem
 nostram abundantiam habebimus.

Porro & cum cibo satiati fuerimus, gratias
 agere Deo nostro & verbo & opere debemus:
 qui nos tam liberaliter pauperit: eundem no-
 strum pastorem & boni omnis auctorem laudā-
 tes: & quæ ad satietatem accepimus in copiosos
 colligamus, ut ad alios quoque tua liberali-
 tatis fructus pertingat, & hi æquales nobis
 effici-

Exod. 17. 6.
 Psal. 84. 7.
 Heb. 13. 5. 6.
 9.
 1. Tim. 6. 6.
 Sc.
 Rom. 14. 17
 1. Cor. 8. 8.
 Pro. 30. 8.
 Phi. 4. 11. 12.
 1. Tim. 6. 17
 Hga. 1. 9.
 Deut. 8. 3.
 Psal. 80. 6.
 Esa. 30. 20.
 Psal. 37. 25.
 Prov. 30. 9.
 Deut. 8. 10.
 Psal. 23. 6.
 Sc.
 Esa. 40. 11.
 Heb. 13. 20.
 2. Cor. 8. 14.
 Etc. 9. 8.
 Sc.

efficiantur. Cogitemus Regni tui & mundi discrimē: & cōtenti præsenti tuæ Ecclesiæ forma, expectemus beatā lucem, qua exutis centonibus, abstersis lacrymis, eam æterna pulchritudine & gaudio locupletissime amicies, & eiusdem membra similiter gloriæ tui æterni regni, abolitis huius mundi regnis & magnis latrocinis, consortes efficies. Amen.

DOMINICA CHRISTI AD-
ferentis veritatem cœlestem, de perso-
na & officio suo, contra obstina-
tos adversarios. Ioh. 8.

vers. 46.

ACerrima tibi, Dux & auctor optime, con-
certatio cum Iudæis hostibus tuis fuit, for-
tissimè à te excepta & absoluta. Scimus certè
te esse Christum illum filium Dei viventis, ha-
bentem verba vitæ æternæ, & potenter defen-
dere posse velleque tibi confidentem gregem;
ita quidem, ut non verbis tantùm refellantur
impiorum illorum cogitata & effata: sed & ne-
faria reprimantur opera, & ii ipsi, qui primò
tibi contradicere ausi sunt & in arenam te pro-
vocare, deinceps cum ignominia exinde disce-
dere cogantur.

Fac quæsumus, dulcissime Iesu, ut tuo verbo
libentissimè aures & animum præbeamus: &
amoris

amoris tui occasionem in sedula verbi tui au-
 ditione & meditatione quæramus: studeamus
 & hanc dignitatem ambire, ut ex verbi audi-
 tu fidem in te nacti, filij Patris tui effici merea-
 mur. Fugiamus impiorum latibulorum com-
 mercium, & tuam Ecclesiam frequenter visi-
 temus. Separemus nos ab omni prava congre-
 gatione, & hos præsertim, qui obstinatè veri-
 tati adversantur, & tuum nomen blasphema-
 re non horrent, missos faciamus, tuoque iudi-
 cio relinquamus. Neque pigeat nos pericula
 fortunarum aut vitæ discrimen subire, si tui
 nominis causa pro gloria tuæ amplificatione id
 facere opus sit: putemus satius esse, relicto hoc
 templo carnali & carnis depositis exuvijs, in
 cælestem Hierosolymam exire: quam in impio-
 rum tabernaculis diu habitare. Amemus ver-
 bum tuum: & scripturas sacras scrutemur, cer-
 to statuentes, nos in illis vitam æternam habe-
 re, ita ut quamvis temporalem mortem gusta-
 re nobis necesse sit, tamen in æternum non mo-
 riamur, nec à morte secunda absorbeamur, sed
 ex prima, te duce, eluctati, in æternæ vitæ
 gaudia deniq; cum omnibus electis trans-
 feramur. Amen.

Ioan. 1. 12
 Rom. 10. 17

2. Thes. 3. 6.
 2. Tim. 3. 5.
 1. Cor. 5. 9.
 10.

Apoc. 18. 4.

Ioan. 5. 36.

Apoc. 20. 6

58 D. PETRI HEIOII IC.
 DOMINICA CHRISTI IN-
 gredientis Hierosolymam, & Regnum
 Sionium in hoc mundo occupan-
 tis. Iohan. 12. 12.

Verè dictum est abs te Iesu Christo, Regnum
 tuum non esse ex hoc mundo. Itaque domi-
 Ioan. 18. 36. naris tu quidem in medio inimicorum tuorum;
 sed armis non mundanis aut terrestribus. Ne-
 glecta est tui regni forma, & alia à mundano-
 rum regnorum splendore & forma externa.
 Regnum autem quod hic inchoasti & stabilisti,
 pacis est firmamentum: eoque tantum in humi-
 litate & infirmitate ista externa effecisti, ut
 Ioan. 14. 27 imperiorum omnium & inferorum etiam pote-
 Rom. 14. 17 statem supera veris.

Da benignissime Iesu, ut huius tui regni nos
 quoque participes efficiamur: & ingredienti
 tibi occurrentes, letum quoque Osanna canamus.
 Psal. 65. 118 Præparemus adveniēti tibi viam in cordibus
 25. 26. nostris: æquantes curva, elapidantes noxia.
 Esa. 62. 10. Aperiamus portas mentis, Rex ut gloriosus in-
 tret. Osculemur filium: & felicem hanc ex Ro-
 Psal. 14. 7. λην, nostro bono factam credamus. Eramus
 Psal. 2. 12. ἀπόλιδες & extorres civitatis Dei Patris. In
 hanc rursus præeunte Rege nostro introduci-
 mur: & non tantum ius civitatis, sed & deli-
 Ioan. 1. 12. ctorum omnium indulgentiam, & ius filiorum
 Dei

Dei nanciscimur. Tantum bonum ne contempserimus.

Meminerimus nostri rursus muneris esse, hunc ad nos venientem Regem nostrum lubentissimo animo & corpore suscipere: eidem obedientiam absq; exceptione promittere: & vassallos nos ligios præstare: cui homagium in baptismi lavacro promissum, deinceps in omni vita constanter servare oporteat. Credamus hunc nostrum esse Servatorem: & quod corde credimus, ore quoq; semper lætis & angustis rebus nostris profiteamur, opere ipso in tribulationibus contestemur, ut si necessitas urgeat, ne pudeat nos exuvias huius carnis deponere, & Christo substernere: aut pauperibus Christiq; membris necessaria suppeditare. Ne pigeat nos aliquando stare sub Christi cruce, qui gloriosi eius regni cives esse cupimus.

Rom. 10. 10

Fugiamus procul illorum detestandam inconstantiam, qui lætis regni tui initijs delectati, tristiora tempora adversantur: & cum vulgi scribarumq; multitudine à regni tui simplicitate deficiunt. Maneamus perpetuo membra eius coetus, qui semper sequitur, & comitatur agnum quocunq; ierit: qui sui pastoris vocem audit, & luporum consuetudinem diligentissime vitare studet. Attollamus caput & vocem nostram, bene precemur ei, qui venit in

Apoc. 14. 4

Ioan. 10. 14

27.

Psal 118.

Esa. 52. 7.

nomi-

nomine Domini: amemus bonum nuncium ad-
 ventus Regis nostri: Spectemus cum volupta-
 te pedes nunciantium pacem. *Matt. 25. 1.* Preparemus nos
 ita in huius primi ad-ventus celebritate, ut in
 secundo ad-ventu, cum venerit sponsus anima-
 rum fidelium, nos quoq; bene parati & instru-
 eti inveniamur. Nam ut est in Hebraeorum pa-
 raneticis sententijs: Qui nihil parat in vespera
 Sabbati: nihil comedet in ipso Sabbato.

Neand.
 Gra. Heb.
 pag. 372.

DOMINICA CHRISTIANI
 PASCHATIS. Marc. 16.

1. & seq.

Psal. 68. 1. 2. **R**edit iterum ad nos lux novo olim & Chri-
 stiano Paschati destinata, qua pulsis nebu-
 lis & foculis veteris fœderis surrexit Domi-
 nus, & se agnum immaculatum, pro peccatis
 nostris casum, vitæ redditum, morte de-victa,
 clarissime ostendit. Abierat nox, & iam sol ite-
 rum diem reducere festinabat, cum ecce sol iu-
 stitiæ, stella ex Iacobo, tanquam sponsus ex le-
 eto suo geniali exultans, progreditur & pacem
Mal. 4. 2.
Nu. 24. 17.
Can. 8. 6. 7. omnibus suis fidelibus adesse nunciat.

Fortis est, ô sponse, ut mors, amor tuus: neq;
 vel aquis extinguatur, vel orco retineri potuisti,
 quin ruptis omnibus vinculis emergeas, & ve-
Psal. 16. 10. rissimus Simson non tantum portas inferorum
 refrin-

MEDITATIONES SACRÆ. 61

refringeres, sed & imperia expoliata & potestates traduceres palam triumphator maximus. Iudic. 16. 3.

Rem miram autem mortem ipsam per mortem 17.

superatam: & in morte vitam nobis reparatam: Col. 2. 15.

cum nos quidem ex vita in mortem incidisse: Psal. 68. 19.

mus. Quis nunc contendet ex nihilo nihil fieri? Ose. 13. 14.

ubi, quo loquente creata sunt omnia, eodem pa- Hebr. 2. 14.

tiente recreantur cuncta. Mirabilis Dominus Esa. 9. 6.

noster, & magni consilij angelus. Etenim hoc

est quod antiquus ille Simson ænigmatis loco Iud. 14. 14.

proponebat. Ex edate cibum, ex feroce exiisse

dulcedinem. Quis solvet? Apollo? Non certe,

sed dilecta uxor, sed Ecclesia, cuius amor in

mortem Sponsam sanguinam deduxit: quæ dor- Cant. 1. 14.

miente secundo Adamo ex latere eiusdem crea- Apoc. 19. 12

ta est. Certe idem secundus Simson, ut olim pri- Exod. 4. 25.

mus, ænigmatis sensum amicæ suæ credidit, in

Ecclesia mulieribus primum omnium fidem fe-

cit se resurrexisse: & ut in Psal. 68. v. 12. qui-

dam vertunt: dedit Dominus carnem mulieri-

bus annunciatricibus exercitus multi. Prædi-

cavit & nomen suum alijs fratribus, amicissi-

me illos compellando, & per dies 40. cum illis Psal. 22. 21.

conversando. Heb. 2. 11.

Cur non igitur cor meum & caro mea exul- Psal. 84. 3.

tent in Deo vivo? quandoquidem hinc spem 1. The. 4.

certam de meæ mortis victoria & vita futura 14.

concipio. Dominus enim noster propter peccata Rom. 4. 25

nostra

nostra in mortem traditus, propter iustificatio-
nem nostram resurrexit. Agamus igitur & huic
tam fidelissimo & benignissimo amatori nostro
gratiam, & crucis ipsius sortem non reformide-
mus. Absit à nobis ut in alia re gloriemur: aut

Gal. 6. 14. quicquam præter Iesum Christum crucifixum
1 Cor. 2. 2. scire aveamus. Ponamus timorem ser- vilem:
Luc. 20. 36. & filialem induamus: scientes Patrem nunc
Heb. 2. 15. nos habere in cælis, cui per unigenitum filium
Col. 1. 20. 22 sumus reconciliati, cui laus & gloria in æter-
2. Cor. 5. 18. num. Amen.

FERIIS PASCHALIBVS.

Venit læta faustaque dies, qua resurgentis
ex mortuis Salvatoris nostri Iesu Christi
memoriam Ecclesia celebrat. Ergo agite lætemur
& animo & corpore, in Deo nostro vivo. Mor-
tuus erat Dominus propter peccata: sed idem
propter iustitiam nostram revixit. Vbi nunc è
mors tua sunt spicula? Cedò, quid habes nunc
iuris in sortem fidelium? Mors Christi mortem
omnem superavit, ne Christianis nocere amplius
possit. Agnus ille Dei, & peccatum & mortem
sustulit. Sequamur igitur hunc agnum Ducem
per Crucem, quocunq; ierit. Dulce periculum,
talem sequi principem.

MEDITATIONES SACRÆ. 63

Te rogamus Saluator optime, ut huius tuæ resurrectionis fructus ad nos etiam pertingat, eiusdemq; & in vita & in morte participes simus & maneamus: quò per mortis huius atram vallem, te duce & auctore, per angustam portam eternam vitam ingrediamur: & cum omnibus Angelis electis te, cum Patre & Spiritu sancto, iugiter laudemus & celebremus. Amen.

DIE SECUNDO IN PASCHATE,
te, Luc. 24. vers. 13. &c.

Tua, ò verissima Patris Sipientia, sicut delicia esse cum filiis hominum. Ideoq; & meritis discipulorum sermonibus te miscuisti: & quò olim dixeras, ubi duo aut tres in nomine tuo congregati erunt, in medio eorum te futurum, verum esse comprobasti.

Excita & in nobis sanctos motus, quibus de beneficijs, tua passione & morte partis, assidue cogitemus: & inter nos colloquamur. Credamus te virum dolorum, ob peccata nostra mortuum, & propter iustificationem nostram vivificatum esse secundum scripturam. Da, ut nò tantum loquentem te in Ministerio libenter audiamus: sed & ipsimet scrutemur scripturas cum omni alacritate. Scientes ita quoque in nobis

Fro. 8. 31.

Luc. 24. 13.

Mat. 18. 20.

Esa. 53. 3. 5.

1. Cor. 12. 3.

4.

Ioan. 5. 39.

Act. 17. 11.

Psal. 69. 33.

nobis arsurum & victurum cor nostrum, si vi-
tam & viam aeternitatis in illis quaesierimus.
Feramus patienter argui stultitiam carnis no-
strae: & ei, qui factus est nobis sapientia, iusti-
ficatio & sanctificatio, soli auscultemus, illique
gloriam omnem demus.

1. Cor. 1. 27
29. 30.
Phil. 4. 5.

Scimus, o dulcissime Iesu, te prope esse, sed fac
tamen ut praesentiam tuam subinde agnosca-
mus. Mane etiam nobiscum, quia ad vesperas-
cit. Fac ut in tua luce ambulemus, ne nos tene-
brae apprehendant: & ut nostri quoque aperi-
antur oculi, ut te videant, & vespertino etiam
tempore sit lux: & quando per atram lethi fe-
ramus, vallem hinc nobis transeundum est, te
quoque viam & vitam nostram incedentes,
ad optatae patriae caelestia gaudia provehamur.
Amen.

Ioan. 12. 35
36.

Zach. 14. 7.
Psal. 23. 4.

DIE TERTIO IN PASCHATE

Luc. 24. vers. 36. &c.

Quanto amore tuum cor, benignissime Iesu,
erga maestos discipulos & pubescentem Ec-
clesiam tuam flagra verit, docent frequentes eo-
dem die resurrectionis factae apparitiones. Cer-
tum est, non deserere te nos orphanos: ac maio-
re erga nos quam matris alicuius indulgentissi-
mae, affectu duci. Itaque venisti ad discipulos
per

Ioh. 14. 18.

Esa. 49. 14.
15.

Ezech. 44.
21.

per ianuas etiam clausas. Nam qui per portam
 nulli hominum per viam ingressus es, quomodo
 non per hanc manufactam ingredereris? Neq̄, e-
 nim naturæ regula tuæ omnipotentia domina-
 tur. Tu optime παρασάτης, deinde & Paulo
 Apostolo in carcere ἀπὸ μηχανῆς astitisti: & pi-
 is omnibus te inuocantibus præsentem fore con-
 firmasti.

Act. 18. 9. 10
 Psa. 145. 18.

Adesto & nostris infirmis tuguriis, eademq̄
 tua præsentia in tempore illustrato. Fac ut sem-
 per memores simus tuæ resurrectionis: & vul-
 nerum tuorum in omnibus aduersitatibus no-
 stris recordemur: & si corpore non possumus,
 saltem in animo stigmata tuæ gloriosæ passio-
 nis circumferamus. Attendamus tibi monstrā-
 ti nobis vulnera tua: & credamus nostro bono
 tantum te onus pertulisse. Ne denuò te cruci-
 figamus, & dolores abundantissimè perpeffos
 rursus renouemus. Contenti simus prædicati-
 one verbi: neq̄, speciales apparitiones postule-
 mus. Præcipuè verò aparire nobis Domine di-
 gneris cor nostrum, ut te videamus, & loquen-
 tem in verbo intelligamus: ut perfectò gaudio
 lætemur & exultemus, & letis vocibus & a-
 nimis ad te, nostras delicias, perueniamus. Amē.

2. Tim. 2. 8.
 Gal. 6. 17.
 Et Cap. 4. 1.
 Heb. 6. 6.
 Matth. 16.
 Luc. 24. 45.
 Act. 16. 14.
 Ioh. 16. 2.
 Ps. 126. 1. 2.
 Gen. 45. 26.
 Act. 12. 14.

DOMINICA PRIMA A PASCHA-
 te, quam in albis pia vetustas appel-
 lavit, Ioh. 20. vers. 19. & c.

F

Es

Tit. 3. 4. **E**st *φιλαυθγωπία* tua, Iesu Christe, ut mōs
 stos discipulos tuos subinde consoleres, &
 necquicquam obstantibus foribus & portis
 mundi aut inferorum, te vis sistas: Pacis dulcissi-
 mum nomen primum omnium usurpans. Tu
 certè pax es nostra, qui abolitis per crucem ini-
 micis Patri irato nos reconciliasti, pacem re-
 duxisti, & nobis reliquisti testamento tuo. Ecce
 quod ante mortem nobis reliqueras, post eam
 abundè persolvis.

Ioh. 14. 27. **F**ac quæsumus, ut & nos pacifici simus, ut
Matt. 5. 9. & filij Dei vocari mereamur: atq; ut in miseri-
Ioh. 1. 12. is nostris, memores almæ huius pacis, gaudea-
Psal. 60. 6 mus, te Spiritu intuentes nostrū decus & deli-
Psal. 108. 7 cias. Dignitatem Ministerii maximi faciamus:
Psal. 40. 5. & auræ salutaris ductum non in viti sequa-
Mat. 10. 20 mur: scientes te ipsum per Angelos pacis nobis
40. loqui, in templo tuo sancto: & te in persona i-
 storum honorari.

1. Ioh. 1. 1. **Q**uamvis verò, ô ô Domine, neq; cum Iohan-
 ne, neq; cum Thoma dicere possimus, te nos ocu-
 lis vidisse, aut manibus contrectasse: & nos et-
 iam interdum dubitatio afficiat, ex carnis in-
 firmitate profecta: tamen facito ut omissis ôni-
 bus dubitationibus certissimè statuamus, te no-
 stra causa à mortuis resurrexisse: imitemur
 parvulos & simplices, quos & Catechumenos
 hodie Ecclesia veterè, alba stola indutos & bap-
 ratos

lactos, lacte & melle pastos, Ecclesiæ nomina Heb. 5. 12.
 dare voluit. Contenti sumus lacticinis præsen- Cap. 6. 11.
 tibus, & ex diuite illa Apostolorum mensa su- 1. Pet. 2. 2.
 perstitibus reliquis, donec solido aliquando
 cibo idonei, clarissimè te, optime Iesu, intueri
 cum electis omnibus & Angelis possimus. Inter-
 ea tua vulnera diligenter cogitemus, & ani-
 mis nostris infigamus: neque alibi, quam in
 istis cunite vagientem aliquando, nunc au-
 tem gloriosissimè triumphantem, Deum & Do-
 minum nostrum reperiri posse credamus.
 Amen.

DOMINICA BONI ET FIDI IL-
 lius pastoris, Ioh. 10. v. 11.

TV, ô optime IESV, magnus ille es pastor
 ouium, & curator animarum errantium Mat. 2. 6.
 in huius mundi deserto. Ab initio enim mundi Heb. 13. 20.
 statim, ubi à Paradiso exulare merueramus, 1. Pet. 2. 25
 symbolum & tesseram professionis nostræ, pel- Esal. 77. 20.
 liceas tunicas, nobis aptasti, aurei videlicet Psal. 80. 1.
 velleris, cuius tu Princeps & Dux es, insigne: Gen. 3. 21.
 quod aliquando militiæ Gedeonis tesseram esse Iudic. 6.
 voluisti. Agnoscimus, ô bone, errores nostros, Psal. 72. 6.
 ut ouium pastore suo carentium & indigenti- Pf. 119. 176.
 um. Sed & te pastore percusso factū est, ut sæpè Esa. 53. 6.
 dispergerentur oves tuæ: ubi mirabilè tuā boni-
 tatem

tatem licuit cernere. Te immaculatum agnū
 nostra caussa ad mortem raptum meminimus;
 & ex morte resuscitatū, dispēsas ouiculas colle-
 gisse scimus. Nullus amor cum isto conferendus.
 Nosti etiā ouiculas tuas, & ab hædis distinguis.
 Fac quæsumus, ut te pastorem nostrum &
 vocem tuam certò agnoscamus: & ab ululati-
 bus luporum aut hianarum simulationibus se-
 cernamus: ut & tu coram cœlesti Patre tuo a-
 liquando nos pro tuis agnoscas. Da & nobis in
 hac vita, in Ecclesia & Republica idoneos &
 fideles Pastores. Miserere ouium, lanienæ ty-
 rannorum & hæreticorum subiectarum. Fac,
 ut pastores nostri exemplaria sint gregis suæ fi-
 dei commissi. Tu optime & fidissime pastor, qui
 ab initio mundi vsq; huc gregē tuum fidelissi-
 mē curasti, deinceps ad senectutem quoque e-
 undem portare, ferre, perferre, & in sinu tuo
 fo-vere digneris, mentemque nostram instecte-
 re, ut te Deum & pastorem nostrum semper a-
 gnoscamus, & in mente memoriaq; perpetuò ha-
 beamus. Amen.

DOMINICA CHRISTI MODI-
cum se occultantis Ioh. 16.

V. 16.

Q̄uemadmodum magni huius mundi sol
suam

suam faciem hominibus subtrahit, & interdum
 per eclipsin maiorum luminarium caligines
 & tenebræ accedunt. Ita & per tuum à nobis,
 ô Sol iustitiæ, abitum, & nubium procellarumq;
 motum & fremitum, in electis tuis sæpè tristes
 caligines & mærores oriuntur. Ac præmonuit
 istud ipsum benignitas tua sic, ut remedium bo-
 num malo proximè adiungeret: videlicet, non
 fore diuturnam illam lucis tuæ absentiam, sed
 cui mox præsentia tua sit successura: & quod
 ablatum erat, abundanter compensatura. Tu
 beatos pronunciaſti, qui flent & lugent: ac ali-
 bi luctus risui præstare dicitur: quia videlicet
 hæc vera ad gaudium perfectum via est, ubi
 compositis affectibus carnis, mens Deo parere
 discit & veram consolationem capit. Ac talis
 est Christianorum militia, qui ignoti & tamen
 noti, dolentes & semper tamen gaudentes, ha-
 beantur. Sciunt enim se cum lacrymis ferentes,
 cum cantu messuros, & suos manipulos latu-
 ros: ac momentaneam leuitatem oppressionis
 excellenter æternum pondus gloriæ sibi confe-
 cturam.

Math. 54.

Luc. 6.25.

Eccl. 7.23.

2. Cor. 6.10.

Psal. 126.6

7.

2. Cor. 4.17

Ose. 13.12.

Esa. 26.17.

18. 21.

Tua Ecclesia sæpe parturientis doloribus ve-
 xatur, atq; talis eius facies nonnunquam appa-
 ret, ut foetu iam in arctum progresso, non sup-
 petant ad pariendum vires. Hic igitur more
 parturientium clamant electi tui: & bene, si

interim paulisper latuerimus, dum transeat
 4. Reg. 19. 3. *scuitia, breuiq; spacio specie derelictorum habi-*
 Esa. 37. 3. *ti, prolixam misericordia ad te rursus colligamur,*
 Esa. 54. 7. 8 *& pro modica tui vultus absentia aeternam*
 Esa. 65. 19. *uam clementiam experiamur, Amen.*

†
 DOMINICA CHRISTI PRÆ-
 dicentis suum à nobis abitum, &
 promittentis Spiritus Sancti
 adventum, Ioh. 16.
 vers. 5.

Expedi, inquit Dominus noster, ut à nobis dis-
 cedat. Cur ita? Nempe non ut absentem, il-
 lum anxie queramus: sed fructum presentie
 tanto magis experiamur. Traditur gētibus agnō
 innocens: sed idem hereditatē gentiū iam dudū
 obtinuerat à Patre. Abit per crucem & mortem
 ad Patrem, ut remotis illis impedimentis nobis
 via & transitus securus pateat ad Patrem: &
 ut Spiritus sancti virtute, bona per mortem Do-
 mini parta, in nobis stabiliantur. Venit Spiri-
 tus sacer, & qui in prima rerum creatione fere-
 batur super aquas & omnia calore suo fo-ve-
 bat: idem in hac humana natura restauratio-
 ne denuò munus suum facit, de peccato, iustitia
 & iudicio nos omnes docens, neminem crimi-
 ne vacuum, carere omnes iustitia, neq; in iudi-
 cio

Psal. 2. 8.

Heb. 2. 2.

Gen. 1. 2.

1. Ioan. 1. 7.

Esa. 6. 10.

Gal. 4. 5.

cio Dei consistere posse: nisi mundati sanguine Christi induti iustitia eius, & per eundem à legis reatu absoluti reperiamur.

Fac optime Iesu, ut huic tui S. Spiritus testimonio & veritati attendamus: de via omnia vitemus: quæ videlicet tibi gloriam non tribuunt: neq; tecum faciunt: sed alia ex suis thesauris proferendo, te meliora & sapientiora videri volunt. Tu nostra via ad Patrem, & veritas in doctrina sacra esto, maneto. Amen.

DOMINICA CHRISTI PRO-
ponentis mandatum de invocatio-
ne, & promissionem de exaudi-
tione, Iohan. 16. vers.

23.

Dulcissima est promissio tua, Iesu Christe, Psal. 27. 9.
qua non tantum nos ad precandum in- Rom. 8. 15.
tas: sed & de exauditione facis certiores. Sic
olim David mandato divino fretus, faciem &
conspectum altissimi requirebat. Cur non igi-
tur & nos certissima asseneratione invitati et-
iam credamus Deo? Accepimus siquidem spi-
ritum adoptionis per quem clamamus Abba, pater. De Ioch. 2. 31.
quo olim Propheta vaticinatus est, eo perfusos
& invocationi deditos saluos fore. Sanè, licet

F 4

magnas

Ioan. 16. 22. magnas aduersitates pij experiantur: tamen iis
 23. omnibus Saluator preces solas opponit, & do-
 Mat. 21. 31. mum diuinam Orationis aedem vocari voluit.
 1. Theff. 5. Imò Apostolus & semper gaudendum, & sem-
 16. 17. per orandum esse præcepit.

Imitemur & nos exemplum nostri Pontifi-
 cis & Sacerdotis, qui ante agonem, & in cruce
 Heb. 5. 7. cum valido clamore & lacrymis pro Ecclesia
 Psal. 91. 14. sua orauit. Cogitemus incundissimè & tem-
 15. pestiuè te semper tuis opem tulisse: ac dilectio-
 Psa. 54. 18. nis modum à te descriptum teneamus: ita vi-
 Ioan. 16. 27. delicet amari nos à Patre, si & Iesum Christum
 Col. 1. 20. filium Patris amauerimus, utpote in quo o-
 mnia placuit Patri reconciliari. Itaq; hunc so-
 lum fidei nostræ Ducem intueamur, in nullo
 præterea pacem aut salutem quærentes, nec a-
 lium victoriæ nostræ victorem contra mundū,
 Diabolum, & carnem fore credamus. Amen.

IN DIE ASCENSIONIS CHRIS-
 ti, Marci 16. vers. 14.

Nolite flere, ò charissimi: ecce vicit Leo ille
 ex tribu Iuda: & potentissimè de-vicit o-
 Apoc. 5. 5. mnes inimicos nostros, expoliataq; imperia &
 Luc. 1. 71. potestates traduxit palam per triumphum.
 Col. 1. 15. Nunc gaudendum, nunc pede libero pulsan-
 da tellus: dolor omnis abesto. Itaque hoc
 die

die ascendit is, qui nostra causa descenderat: & Iacobo Patriarchæ hunc suum descensum & ascensum per Angelos descendentes & ascendentes iam ante denotarat. Ascendit, inquam, in altum, captivam ducens ipsam captivitatem: qui iam ante moriendo destruxerat mortem. Quod fecerunt hostes nostri, id passi sunt: & æterna notati ignominia: imò infamia perpetua iniusti, quam nobis infligere tentarunt.

Gen. 28. 12.
Ioan. 1. 52.
Psal 68. 19.
Psa. 78. 67.

Ergo, bone Dux & Rex, te ad dexteram Patris collocato, & pro capite Ecclesiæ constituto, sine metu deinceps sub tuis alis degemus: tu omnia nunc imples, curas & defendis tua potenti dextera. Largire etiam nobis dona, ut in corpore tuo mystico impleamur omni cognitione, & evadentes in virum perfectum laudes tibi æternas dicamus & cogitemus. Amen.

Ephes. 1. 20
Ephes. 49.
10. 11. 12. 13.

DOMINICA SPIRITVS CONSOLATIONIS & VERITATIS, Iohan. 15. 26. 27. Et cap. 16. vers. 1.

VEre dictum est abs te, benignissime Iesu Christe, non esse te relicturum nos orphanos. Nam pro eo, quòd præsentiam tui visibilem nobis subtrahis, Spiritum sanctum venturum promittis. Spiritum consolatorem & veritatis à Patre & te simul procedentem. Certè ita conveniebat

Ioan. 14. 18.
Ioan. 15. 26.

- veniebat fieri, ut, quia filij thalami, absente
 sponso, & lugere & ieiunare cogerentur, simul
 haberent, unde consolationem sentirent. Neque
 verò consolationes philosophicas, & ficulnea fo-
 lia à primis parentibus adhibita, recipimus: quæ
 neque ipsis philosophis suffecerunt, adeò ut sæpe
 ijs magis ad desperationem accenderentur: sed
 veritatis Spiritum agnoscimus consolationem
 habere veram & efficacem, ad versus omnia
 mala nostra. Sint licet foris pugna, intus terro-
 res: dummodo pacem cum Deo Patre per Chri-
 stum habeamus, nihil timere debebimus. Sci-
 mus Deum nostrum esse misericordiarum & om-
 nis consolationis auctorem & Patrem: ac ut
 socij sumus afflictionum: ita & ad consolatio-
 nis societatem nos per venturos. Hæc firmiter
 credamus, & arrhabonem istum Spiritus sancti
 in cordibus nostris diligenter custodiamus: ut
 accepta consolatione & pace cum Deo, verà
 gaudere, & eidem omnibus diebus vitæ nostræ
 seruire possimus. Amen.

DOMINICA ET FERIA PRIMA
 PENTECOSTES Christianæ,

Ioh. 14. 23.

- Act. 2. 11.
 Psal. 113. 5. **G**AUDE, ò anima fidelis, de huius diei divinis
 muneribus. Prædica cum sanctis omnibus
 magnalia

magnalia eius, qui omnium maximus & summus est. Primæ Pentecostes festiuitas incensum ignem, turbinaem, caliginem & procellam, tubæ & vocis tremendæ sonitum præ se ferebat. Nunc autem pluuiam benignam effundis, clementissime Deus, super hæreditatem tuam, & labore confectam recreas. Non montem illum terribilem Sinai, sed delectabilem Sionem & civitatem Dei tridentis, cælestem Hierosolymam, & Angelorum legiones, accedere necesse nunc habemus.

Act. 2. 11.
Psal. 113. 3.
Exod. 19. 16.
Cap. 20. 19.
Psal. 68. 8.
Heb. 12. 18.
Ioel. 2. 22.

Ergo agite ô boni, ne quæramus: cur mundum immundum omittens Deus discipulis suis se exhibeat. Amplectamur præsentem Dei benignitatem, & sermone diuino attendamus. Hæc est illa Iacobi scala, qua ad Deum tuto ire & venire licet. Non per spinosas quæstiones, sed scripturarum scrutationem ad cælum itur. Prope est verbum Dei, in ore & corde nostro. Non satis est dilectionem Dei ore nos profiteri: & sermonem illius in super habere. Facere iubet hæc sapientia, non dicere. Seruare debemus mandata Dei, & quod corde absconditum gerimus factum & opere in apertum proferre. Hæc bonæ arboris natura est, fructum edere floribus convenientem. Ita verè probabimus nos Deum diligere: ita Deus Pater cum filio, & Spiritu sancto nos amabit.

Ioan. 14.
22. 23.
Gen. 28. 12.
Ioan. 1. 52.
Ioan. 5. 39.
Deut. 30. 12.
14.
Rom. 10. 6.
1. Ioh. 3. 18.
Iac. 2. 14.
Rom. 9. 30.
Psal. 116. 10.

Vis

Vis igitur ut ameris, ô Christiane? Ama Christi-
 stum: & præceptis illius congruentem vitam in-
 gredere. Sic Dei non tantum amorem tibi fir-
 miter conciliabis, sed & divinæ Triados tem-
 plum & habitatio eris. Ne dubita de Patris be-
 nignissima voluntate, qui filio unico & dile-
 ctissima nostri causa non præpercit. Filij amorem,
 natiuitas, vita & mors, tam docet præclare, ut
 nihil magis. Fortis enim in his omnibus ut mors
 dilectio illius fuit: neq; amor ipsius torrente i-
 rarum & furiarum infernalium extinguere po-
 tuit unquam. Spiritus sancti propensæ benigni-
 tatis exemplum illustre in missione hodie facta
 visibiliter extat. Venit enim hodie promissus
 Spiritus: & ut olim per diversitatem lingua-
 rum humanum genus iratus disperserat: ita
 per eandem idem nunc sibi reconciliatum colli-
 git in eandem fidem, ut eorum sit cor unum &
 anima una. Spiritus est hic consolationis, veri-
 tatis, adoptionis, vitæ, libertatis, promissionis, æ-
 ternus, gratiæ, precum, & exorabilium quidem.
 Tantis elogijs moveri nos decebat, ut tantò pro-
 cliuius amorem illum divinum amaremus.
 Certè naturæ nostræ frigiditas huius ignis fo-
 menta desiderat: atq; eò quidem magis, quòd
 Christi opera omnia nihil nobis profunt: nisi ar-
 cana Spiritus operatione in nobis obsignentur.
 Qui enim spiritum Christi non habet, neq; par-
 tem

Ioan. 14. 31.

Rom. 8. 23.

Cant. 8. 6.

Ioan. 14. 26.

8, c. 15. 26.

Act. 4. 32.

Rom. 8. 2. 6

15. 2. Cor. 3.

6. 17. Gal. 3.

14. Gal. 5.

18. Heb. 9.

14. Zach. 12

10.

rem in Christo habet, & hi demum filij sunt Dei, Rom. 8. 9.
 qui Dei Spiritu ducuntur. Hinc adoptionis no- 14. 15. 16. 17.
 stræ Spiritus dicitur, per quem clamamus, Ab-
 ba, Pater: qui verè testatur, nos filios esse Dei,
 & cohæredes Christi: quo tanquam sigillo &
 arrhabone obfirmamur & certioramur de hære- Cant. 8. 6.
 ditate cælorum. Per hoc deniq; Christum in no- Esa. 49. 16.
 bis habitare no- vimus, quod Spiritus in nobis Eph. 1. 13. 14
 sancti motus & agitationes sacras deprehendi- Cap. 4. 30.
 mus. 1. Ioh. 3. 24.

Proinde hoc tantum bonum obvijs animis ac-
 ceptemus. Rogemus Dominum, ut promissum
 hunc Spiritum nobis diu largiatur: Ita enim Eph. 4. 4.
 per sanctificationem Spiritus sancti omnium, 1. Ioh. 5. 7.
 quæ ad salutem necessaria sunt, complementum 2. Cor. 3. 16
 habebimus. Ambiamus hunc honorem, ut tem- Cap. 6. 19.
 plum sancti Spiritus simus: ut Dei Patris & fi- 2. Cor. 6. 16
 lij habitatio efficiamur. Unus enim est Dominus Iob. 33. 4.
 Pater, Filius & Spiritus sanctus. Primùm om- Psal. 104.
 nipotens ille Spiritus nos creavit: idem & in 28.
 secunda regeneratione nos recreat, & quæ per- Esa. 57. 16.
 dita in nobis erant, cuncta renovat. Petamus Tit. 3. 6.
 effundi etiam in nos dona huius Spiritus mul- Joel. 2. 28.
 tiplicia: unde & Spiritus simplex & multiplex Sap. 7. 22.
 dicitur. Septiformia munera sapientiæ, intel- 1. Cor. 12. 4.
 lectus, consilij, fortitudinis, scientiæ, pietatis & Esa. 11. 2.
 timoris, nostram irrigent ariditatem.

Veni

Veni ergo (*ut pie cocinit antiquitas*)
 Sancte Spiritus,
 Et emitte cœlitus,
 Lucis tuæ radium.

Veni, Pater pauperum,
 Veni, dator munerum,
 Veni, Lumen cordium.

Consolator optime,
 Dulcis hospes animæ,
 Dulce refrigerium.

In labore requies,
 In æstu temperies,
 In fletu solatium.

O Lux beatissima,
 Reple cordis intima,
 Tuorum fidelium.

Sine tuo numine,
 Nihil est in homine,
 Nihil est innoxium.

Laua, quod est sordidum.
 Riga, quod est aridum,
 Sana, quod est faucium.

Flecte, quod est rigidum,
 Fove, quod est frigidum,
 Rege, quod est deuium.

Da tuis fidelibus,
 In te confidentibus,
 Sacrum septenarium.

MEDITATIONES SACRÆ 79

Da virtutis meritum,
Da salutis exitum,
Da perenne gaudium.

Concede quæsumus, ô Deus, ut, renouatis Ezech. 11.
cordibus nostris, spiritus illius sancti primitias 15.
hic accipiamus: perq; eiusdem suspiria ad te Cap. 36. 26.
semper anhelamus, donec tibi placuerit, ad ple- 27.
nissimam messem gaudiorum celestium nos Rom. 8. 23.
vocare, ubi tu omnia eris in omnibus, & tui 26.
messores ex tua benedictione manum, & mani- Cap. 12. 2.
pultores sinus suos abundantissimè implebunt, Iacob. 1. 18.
tibiq; ob hæc maxima tua dona, gratia & lau- Plat. 129. 7.
dem agent & habebunt sempiternam. Amen. 1. Cor. 15. 28.

DIE SECUNDO PENTECOSTES

Christianæ, Iohan. 3. vers.

16.

Recte S. Bartholomæus, referente Dionysio, Lib. de
Evangelium dixit esse magnum siue lon- Myt. Thea
gum & breve seu compendiarium. Sicut oi. Cap. 1.
verba hæc Christi ad Nicodemum pauca, ut ap-
paret: sed si bene consideres, non verba saltem:
verùm verborum pondera admiranda & ma-
gnifica Dei facta. Quòd summum illud bonum
tantopere ad hanc suam creaturam, sibiq; in-
festum, & omnia mala meritum genus, relicto
throne

D



throno glorioso & angelis, se demiserit & inclinaverit, adeò, ut mundum illum immundum, **Rom 8. 32.** cruentum, diligere, amare, vivificare, neq; vulgariter tantum voluerit: sed unigenitum sibi filium hominibus donare, carnemq; humanam in consortium divinitatis recipere, imò eundem **Rom. 5. 1.** filium in mortem turpissimam dare: & hæc **Act. 4. 12.** quidem omnia propter nos homines, & propter nostram salutem: ut nos merito huius Salvatoris iustificati per fidem pacem apud Deum habeamus. Neq; enim est in alio quoquam salus: **Act. 10. 43.** neq; aliud nomen in universa natura rerum, per quod nos salvari oporteat. Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accepturum quemcunque credentem. **Rom. 5. 20.**

Deo igitur sit gratia pro tanto munere. Nam utcunque auctum fuerit peccatum, superabundavit tamen gratia: si momenta, & pondera liberalitatis & largitionis divinæ cum peccatorum turpitudine æqua lance libra veris. Deinceps ergo Christum hunc nostram sapientiam, **1. Cor. 1. 30.** iustitiam, sanctificationem & redemptionem **Cap. 2. 2.** statuamus: imò nihil scire nos delectet, præter Iesum Christum eumq; crucifixum. Credamus in ipsum, & ore confiteamur hunc esse nostram **Rom. 10. 9.** salutem. Ambulemus in hac luce: & omissis **10.** operibus tenebrarum: sancta consilia & recta **Rom. 13. 12.** **Ioh. 3. 19. 20.** **Iacob. 1. 17.** opera,

Opera, Deoq; placentia tractemus, ut ad gloriam æternam, à Patre luminum omnibus sanctis preparatã, & nos quoq; venire possimus. Amē.

FERIA TERTIA PENTECOSTES,
Iohan, 10. vers. 1, &c.

Amabilis certè est ouium & pastoris comparatio: qua & supra dictum sæpe uti scripturam sacram: pertinent hæc verba etiam ad munus Sancti Spiritus, quo is in doctrinæ sanæ propagatione utitur. Fac optime pastor animarum, ut nullibi præterea salutem, nisi in tua aula, hoc est, Ecclesia, ubi oves tuæ tantum reperiuntur, quæramus: nec ad eam aliunde, quàm per te ostium sanctum, Alpha & O, principium æternum ingredi conemur. Ianitorem illum tuum Spiritum sanctum nobis largire, qui abdita nobis per peccatum, & vindicis angeli flammeiq; gladij cus in obserata, arcana vitæ rursus aperiat: ut securè ingredi & egredi possimus. Agnoscimus verè, solum Spiritum tuum scrutari profunditatem diuinæ benignitatis: & hunc solum aperire, quæ clausa fuerant: neminem præterea, quæ clausa ab eodem sunt, reserare. Idem nobis intellectum scripturæ aperit, & quæ accepimus mysteria & bona, in cordibus nostris obsignat & claudit.

Psal. 23. 13

Psal. 65. 4.

Act. 4. 12.

Act. 22. 13.

Psal. 51. 10.

15.

Gen. 3. 23.

1. Cor. 2. 10.

11.

Esa. 22. 90.

Apoc. 3. 7.

Eph. 1. 13.

Apoc. 7. 3.

Psal. 22. 21.

Ioan. 1. 12.

G

Retinea-

Retineamus hæc signa & sigilla etiam in
 Rom. 8. 14. frontibus nostris: ne à malis Angelis percutia-
 17. mur. Attendamus voci pastoris illius magni,
 1. Ioan 3. 1. qui nos compellat nominatim: & filius Dei,
 Heb. 2. 11. fratres & cohæredes suos, amicosq; dulcissimæ
 Ioh. 15. 14. affectione vocat: alieni eramus olim, at nunc
 15. Dei populus & hæreditas. Proinde & nos, vt
 Ose. 19. decet filios cœlestis Patris, geramus. Nomina il-
 la præclara diligenter tucamur: neq; aliis nos
 Rom. 9. 25 verborum lenociniis abduci à vero patiamur.
 Eph. 2. 12. Gaudeamus quòd nomina nostra scripta sunt in
 19. libro vitæ, pastoremq; magnum illum rogemus,
 Phil. 4. 3. ut nunquam gratia illa nobis collata excida-
 Heb. 13. 20. mus: sed nomen Patris cœlestis, non bestiae aut
 Col. 1. 23. alius hominis, in frontibus scriptum retinen-
 Apoc. 13. 8. tes, & semper in libro vitæ scripti reperti: de-
 15. 17. niq; cum pio & electo grege ouium benedictio-
 Cap. 14. 1. nis æternæ partuipes effuiamur: ubi agnus æ-
 Cap. 22. 4. ternus nos pascet, & deducet ad viuos aqua-
 Apoc. 7. 17. rum fontes, omnemq; ex oculis nostris lacrymam
 absterget. Amen.

DOMINICA SANCTÆ ET IN-
 diuiduæ Trinitatis, Iohan. 3.
 vers. 1.

O Adoranda Trinitas: ô veneranda Vnitase
 Eph. 4. 5. 6. Deus pater, Fili & Spiritus sancte. Tu so-
 Rom 11. 36. lus Deus, & Dominus es noster. Ex te, per te, &

in te sunt omnia. Tu super, & per omnia, & in omnibus es. Te solum adoramus, veneramur: tibi soli solidam ex tota anima & viribus nostris seruitutem & cultum debemus. Agnoscimus diuitias misericordiæ tuæ, quo nos semper es complexus: miramurq; quæ rimari non licet, in profunditate sapientiæ & cognitionis tuæ. Veneramur inscrutabilia iudicia tua, & vias inperuestigabiles, in quibus ut in mari magno, oues tuæ peditant, elephantes natant; sobria scientia seruetur: & mundi sapientia submergitur. Quis enim Rubum illum, igne ardenti æstuantem, absq; vitæ dispendio accedat? Quis novit mentem Domini, aut quis ei fuit à consilio? Quis vidit Dominum, & vius supersistit? Nemo præter unigenitum illum Patris æterni Filium. Is ex sinu Patris ad nos attulit tantum quantum scire nostra interest.

Act 17. 28.
Deut. 10. 20
Mat. 4. 10.
Eph. 2. 4.

Rom. 11. 13.
Esa. 40. 30.

Exo. 3. 2. 4.
Deu. 4. 24.
Heb 12. 2.
Rom. 11. 24
Esa. 40. 13.
Exo. 33. 20.
Ioan. 1. 18.

1. Cor. 2. 16

Col. 2. 19.
Cap 1. 3.

Matt. 3 17.

Ut igitur non omnia sciamus, sufficiat nobis hoc, quod sensum illum Christi Iesu teneamus. Hic nos à considerationibus nudæ & absolutæ diuinitatis facessere volens, iussit se tantum intueri: ut in quo sunt absconditi omnes thesauri sapientiæ & cognitionis diuinæ, & habitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter. Ita enim & Pater se hunc tantum Filium suum intueri ait, in eoq; solo acquiescere. Hic via & veritas ista, in qua abulare debemus ut tene-

nebras æternas effugiamus. Hic agnus est, digi-
 to Ioannis, secundi illius Eliæ demonstratus: ab
 Ioan. 12. 46. Esaiã prædictus, qui iniquitatem nostram ex-
 Ioan. 1. 29. Esaiã prædictus, qui iniquitatem nostram ex-
 Esa. 53. 7. piavit. Implevit serpentis Mosaici figuram, &
 per crucem exaltatus, caput constitutus est Ec-
 clesie. Idem arcanam voluntatem Dei circa o-
 pus Regenerationis nostræ nobis aperuit. Hoc e-
 nim consilium Dei λόγος & consilij magni
 Eph. 1. 22. Angelus è cælo attulit, ut sciamus denasci nos
 Rom. 6. 4. oportere in nobis, ut in ipso renati vitam æter-
 Tit. 3. 5. nam habeamus: non quidem ex semine mortali
 Esa. 9. 6. sed immortali per verbum Dei viuentis. Ac
 quo certior esset fiducia nostra, Deus optimus
 1. Pet. 1. 23. maximus, & cælestibus & terrenis testibus, hoc
 Ioan. 1. 13. ingens salutis mysterium tanquam sigillis mu-
 nire voluit: videlicet testificantur de hoc in
 cælo, Pater, verbum & Spiritus sanctus: in ter-
 ra, Spiritus, aqua & sanguis. Vere enim Salu-
 1. Ioan. 5. tem nostram Deus operatur, & signis confirmã-
 7. 8. dæ tantæ rei destinatis præsentiam suam imper-
 Matth. 3. titur: & quamvis abdita Dei ignoremus, &
 16. thesauros, vnde venti naturales & spirituales
 Psal. 135. 7. motus cordium spirent, nesciamus: tamen ad
 Ezech. 10. hæc nobis ob oculos posita, in præsepio & ovili
 13. nostro, signacula Spiritum nostrum applicare
 Ioan 3. 8. debemus.

Intueamur Aquam & sanguinem. Lauacrum
 regenerationis: & effusi pro nobis sanguinis, &
 traditi

traditi corporis, filij Dei *μυκμὸσυχον*, sacræ
 cœnæ institutionem: quia utrumq; hoc nobis pro
 testimonio gratiæ Dei à Salvatore nostro reli-
 ctum est. Ne detrectemus Spiritus sancti impe-
 rium, ut quod signa monstrant, & offertur,
 cum effectu capiamus. Nemo enim Iesum Chri- *1. Cor. 12.3.*
 stum Dominum dicere potest, nisi per Spiritum
 sanctum. Idem Spiritus una cum nostro Spiri- *Rom. 8.16*
 tu testimonium nobis perhibet, nos esse filios
 Dei. Proinde ut summi Dei filij simus, & de
 salute nostra certiores: teneamus hunc ordi-
 nem, & tu, ô sancta Trinitas, uni corda no-
 stra, ut hanc tuam voluntatem, & abs te san-
 citam circa regenerationem nostram seriem,
 solícite sequamur: ut filij tui vere facti, nun-
 quam ab accepta gratia deinceps excidamus:
 sed & hic & in omni æternitate opera illa sa-
 pientiæ, & gratiæ tuæ, pleno ore & corde, lau-
 dare & celebrare possimus, Amen.

DOMINICA LAZARI PAUPE-
 peris, & anonymi diuitis Luc.

16. 19.

Recte post doctrinam de sanctissima & indi-
 uidua Trinitate, de diuitum & pauperum
 statu meditatio subiicitur. Etenim in cultu Dei

Opt. Max. nihil æquè ut auaritiã vitare de-
 bemus: quam ideo radicem omnis mali & ido-
 latriam Apostolus dixit. Vtrumq; sane, & diui-
 tem & pauperem, creauit Dominus: at plerum-
 que vel insoleseunt diuites ob copiam, vel ob
 inopiam pauperes contristantur.

Rogamus igitur Te Patrem cœlestem, largi-
 torem omnium bonorum, ut quibus tua manus
 diuitias benigne concessit, ne ad eas cor appo-
 nant, contemnentes in pauperibus eorundem
 creatorem, & horum vociferationibus aures
 obdurantes: cum certum sit, te causam inopum
 agere, & per latus illorum offendi, ac inexora-
 bilem te rursus insolesecentibus diuitibus præ-
 biturum. Vcantur diuites mundo hoc, sed non
 abutantur. Dent petentibus & inopibus elec-
 mosynam libenter & hilariter: & sabutis cau-
 sa parati sint abiicere opes mundi, quo facilius
 per foramen acus, viam scilicet angustam, sine
 impedimentis transire possint. Ambient potius
 in Deo diuites esse, & thesaurum immarcescibi-
 lem cœlestium bonorum sibi comparare. Ne de-
 lectentur magnis & illustribus nominibus: qui-
 bus & terras & opera sua impii insignire stu-
 dent. Nam & præterit species huius mundi: &
 euanescent adeo illa tam solícite quæsitã, ut
 post mortem statim pereant, & ne quidem no-
 mina istorum diuitũ amplius supersint: quem-
 admodum

Tim. 9.10

Col. 3.5.

Pro. 17.5.

Luc. 1.9.10

11.

Psal. 62.11.

Pro. 17.5.

Iac. 2.5.16.

Pro. 21.13.

Pro. 22.14.

Mat. 25.40.

1. Cor. 7.31

Mat. 5.42.

Cap. 6.1.

1. Cor. 9.7.

Mat. 9.24.

Luc. 17.1.

Mat. 6.20.

Psal. 49.17.

1. Cor. 7.31.

Iac. 5.1.

Psal. 37.10.

Psal. 49.15.

admodum neq; huius diuitis nomen ullibi reperimus. Cogitent in epulis suis, rationem sibi potius pauperum quam amicorum habendam: ac te Deum semper orent: ut quæ carni impossibilia sunt te dante superantes, cum aliis electis regnum tuum introire possint.

Luc. 14. 12.
13. 14.
Eccles. 4. 5.
6. 8.
Mat. 19. 26.

Rursus autem & pauperes, ad Spiritus paupertatem potius quam opum defectum respiciant. Cogitantes thesaurum suum in celo esse, ubi & cor ipsorum versari oporteat: credant electos se esse, uti pauperes huius mundi, qui fiant diuites fide, & hæredes regni cælestis: quippe cum ut Elcazari veri Deum habeant adiutorem, & nominatim illos ita compellantem: non despondeant propter inopiam animum: sed ca-
ut idoneo instrumento recipiendæ gratiæ diuina, utantur: & abiectionem suam sublimitatem reputent: ut qua pauperes quidem sint, at multos ditare possint, & nihil habentes omnia obtinere inueniamur. Satis ducant se in Christo ditatos esse, eundemq; tam in vita quam in morte pro lucra habeant. Cogitent quæstum esse magnum, pietatem cum animo sua forte contento, ut qui nihil intulerint in mundum, neq; inde ablaturi sint aliquid.

Mat. 6. 19.
Luc. 12. 4.
Iacob. 2. 5.
Iac. 9.
Prov. 10. 2.
2. Cor. 6. 10.
Psal. 37. 25.
1. Cor. 1. 5.
Phil. 1. 21.
1. Tim. 6. 7.
2. Tim. 6.

Fac optime Pater, ut omnem spem nostram in te solo ponamus, qui nobis omnibus copiose ad

Phil. 1.23. *sè ad fruendum præbere necessaria vis & potes: & ut hic audientes Legem & Evangelium fundamentum ponamus, quo innixi, vitam æternam apprehendamus. Hærentes cælo, terram calcemus: & iugiter cogitemus, quomodo hinc beatè migrare, & ab Angelis sanctis in sinum Patris cælestis portari, & ibidem cum Iesu Christo, & Spiritu sancto æternum esse & manere possimus. Amen.*

DOMINICA MAGNÆ COENÆ,
 à plurimis fastiditæ, paucis gratæ,
 Luc. 14. vers. 16.

Ioh. 6.48. *Ita est, quemadmodum erant verba eius qui cum Salvatore nostro in conuiuio colloquebatur: Beatum esse illum, qui comedit panem in regno Dei. Ac melius profectò cum illo actiù esset, si & vim horum verborum tenuisset. Sed optimè factum, quòd idem ille, qui panis est vitæ & regni cælestis hæres unicus, tam fideliter nobis omnia, quæ ad participationem salutaris illius cibi nos perducunt, exponit.*

Verè enim Pater cælestis hominibus, qui post priora bona, & omnium rerum abundantiam, in summam venerant egestatem & penuriam, rursus mensam instruxit egregiam. Et quemadmodum initio mūdi omnibus thesauros liberalitatis

litatis suæ aperuit: ita & sub vesperam mundi ad cœnam magnam, & magnos & paruos vocavit. Misit ergo ut servum suum filium unigenitum, qui forma servi accepta legationem hanc ad nos suscepit. Venit ad nos, & disruptis cœlis descendit: Invitavit homines omnes: primum quidem Israëlitas, & parata esse omnia significavit. Venirent modo & hanc cœnæ horam ne negligerent. Clamavit Sapientia in foro, in templo, & ubiq; vocem suam benignissimam audiri voluit: totos sæpe dies manus suas expandit, humanis funibus & loris amatorijs illos attrahere studuit. Similiter & hi, qui in veteris & novi Testamenti primordijs gratiam Evangelicam adesse nunciarunt, legationis suæ munera strenuè obierunt.

Esa. 42. 1.

Phil. 2. 7.

Esa. 64. 1.

Prov. 1. 20.

Cap. 8. 1.

Esa. 64. 2.

Ose. 11. 4.

Sed quam malè proh dolor accidit, ut ingrata quàm plurimis hæc invitatio esset: & illi omnes uno ore se excusarēt: partim quòd agri inspiciendi, & boum probandorum maior & utilitas & necessitas illis videretur: partim quòd vxoris tanta affectione tenerentur, ut animæ suæ salutarium remediorum obliviscerentur. Malè inquam isti. Nam agricultura terrestris nobis tanti esse non debet, ut propter eam cœlestem negligamus. Seminare etiam nobis debemus, ad iustitiam messuri pro ratione pietatis: Ose. 10. 12. no-vare nobis no-vale, dum tempus est Iehovam

Ose. 10. 12.

G 5

quæ

quærendi: & cum tempus habeamus habitan-
 Hag. 1.4.9. di in nostris laqueatis ædibus, cur Dominicam
 Mal 1.7. ædem patiamur esse desertam, & mensam Ieho-
 Psal. 32. 9. væ despectam habeamus? Ne cum bobus & e-
 quis irrationalibus eorūdem mores imitemur,
 humanæ excellentiæ immemores: multo minus
 Psal. 22. 12. ut opimi boues Bassanici Saluatori nostro in-
 sultemus: Neq; coniugii delicias cœlestibus cœpu-
 lis & nuptiis agni præferamus: aut quæ adiu-
 mento nobis esse Deus voluit, in impedimenta
 1. Cor. 7. 27. 30. vertamus. Omnia enim ista, huic vitæ necessa-
 ria, periunde à fidelibus haberi debent, quasi ea
 non haberent. Vii debemus mundo, sed non
 abuti.

Cauebimus igitur peccata Iudæorum, qui
 Matth. 11. 17. 19. ad istos lapides tam insigniter offenderunt. Et
 cum ipsam coram intuerentur sapientiam, &
 canentem & lamentantem, tamen neq; salta-
 runt, neq; planxerunt, sed illam potius iustifi-
 care conati sunt. Enim vero misericors Pater
 Luc. 3. 8. nihilominus alios sibi conuiuas quæri manda-
 vit: cum idem etiam ex lapidibus sibi Abraha-
 mitas possit excitare. Igitur & manci, claudi,
 cæci, & qui ad sepes jacebant inuitati, & in-
 gredi etiam compulsi sunt. Bene vero hi apti
 regno fuerunt cœlesti: qui bonis terrenis va-
 cui liberius animum illis nobilioribus potue-
 runt applicare. Ita apparet publicanos & me-
 retrices

MEDITATIONES SACRÆ. 91

retrices præire Pharisæos in regno Dei: & alienos à Republica Israelis conciuēs fieri sanctorum, & domesticos Dei: & recte faciunt legati sancti, qui apud fideles auditores & tempestiue & intempestiue instant, arguunt & urgent.

Mat. 21. 31.
Ephes. 2. 12.
13. 18.
2. Tim. 4. 2.

Nos vero quoq; hodie, cum vocem salutarem vocationis ad cœnam magnam audierimus, corda nostra ne obduremus: sed cupide ei assentiamur: neq; offendiculis vllis moueamur mundanæ stultitiæ, quo minus vocationi nostræ firmiter inhareamus: Veniamus ad aquam & panem vitalem, nobis indignis & immerentibus oblatum: ut gustatis huius magnæ cœnæ primitiis, tandem cum electis omnib; ad cœnam nuptiarum Agni, voce Angelorum & Iesu Christi sponsi congregati, cum Abrahamo, Isacco & Iacobo in regno cœlesti discumbere, & æternorum gaudiorum participes fieri possimus, Amen.

Pf. 95. 8. 9.
Heb. 3. 7. 8.
1. Cor. 1.
23. 26.
Esa. 55. 1.
Ioan. 6.
Ap. 19. 9. 17.

DOMINICA OUIS ET

Drachmæ perditæ. Luc. 15.

v. 1.

Recte, ô benignissime Saluator Iesu Christe, de peruersa secta Pharisæorum & Scribarum olim dixisti: sepulchra esse illos dealbata.

dealbata, qui nec ipsi in regnum caelorum in-
 trent, neque alios sinant introire. Et recte ve-
 tus Ecclesia de Magdalena peccatricis historia
 cecinit: Murmurat Pharisaeus, ubi plorat foemi-
 na criminis conscia. Peccator contemnit com-
 peccantem: Sed tibi, o dulcis hominum amator,
 qui nihil omnium quae fecisti, odisti, voluptas
 summa est peccatores errantes & perditos re-
 ducere, & prodigum filium ad frugem melio-
 rem revocare. Tu vere pastor es noster, qui o-
 villa pelle iam statim ab initio mundi coepisti
 nuditatem tegere primorum parentum, & in
 deserto huius universitatis rerum degens hu-
 manum genus, subinde missis fidelibus doctori-
 bus & Prophetis in viam reduxisti. Tu deniq;
 ipsemet tuas oves conquisturus & vestigatu-
 rus caelo descendisti, & hinc inde vagantes in
 tuos humeros susceptos in tuum ovile repor-
 tasti.

Erant aliquando tuum numisma, tuam i-
 maginem referentes parentes nostri: sed eam
 incuria & ambitione inducti amittentes, & si-
 bi & nobis informem imaginem fecerunt. Ig-
 noti igitur Deo, noti mundo facti sumus. Hic
 bonus ille pastor accensa verbi sui luce, lumen
 nobis in tenebris rursus oriri fecit: purgavit
 domum pectoris nostri e verriculo legis promul-
 gata: collustravit mentes nostras radijs Evan-
 gelij

Matth. 23.
13. 27.

Sap. 11. 22.
23. 24.

Luc. 15. 22.

Ebr. 13. 20.

Gen. 3. 21.

Zach. 10. 3.

Cap. 11. 7.

Ier. 34. 2. 11.

Matt. 10. 6.

Cap. 15. 24.

Psal. 119.

v. vlt.

Psal. 90. 5.

Psal. 112. 4.

Psal. 43. 3.

2. Cor. 6. 9.

61. 18.

andreas

gelij sui, & in cognitionem sui nos rursus ad-
 duxit. Impressit nobis rursus nominis sui me-
 moriam. Signavit corda nostra sigillo amoris
 sui. Iam ut drachma & numisma, Domini por-
 tantes imaginem, ciues nos agnoscit celestis cu-
 ria,. Gaudet omnis vicinia fidelium, ipsimetq;
 Angeli in mynisteria illa venerandi operis re-
 demptionis nostræ introspicere gestiētes, con-
 gaudent nobiscum, Deoq; & Domino nostro gra-
 tias agunt & perhibent ingentes; qui nostra
 causa tantos labores suscipere dignatus, oves re-
 duxit, drachmam invenit: nec reduxisse & in-
 venisse contentus, gaudium hoc suum omnibus
 vicinis fidelibus & Angelis enarrans, cum Iu-
 bilo ascendit ad Patrem cœlestem, & nunc de o-
 mnibus nostris & spiritualibus & corporalibus
 hostibus gloriose triumphat: Cui sit laus & be-
 nedictio in sempiterna secula. Amen.

Esa. 43. 1.
 7. 19.
 Cap. 44. 5.
 8. 9.
 Cant. 8. 6.
 Psal. 4. 7.
 Ezech. 9. 4.
 6.
 2 Cor. 3. 18.
 Psal. 53. 7.
 Psal. 126. 1.
 Eph. 1. 13.
 14.
 Eph. 2. 13.
 19.
 1. Pet. 1. 12.
 Psal. 47. 6.
 Psal. 24. 7.
 Col. 2. 15.

DOMINICA MISERICORDIÆ

Patris à filio prædicatæ, Luc. 6.
 vers. 36.

Quid est, ô anima fidelis, quod tantopere mi-
 sericordiam paternam Filius Salvator
 commendat, & ad imitandum proponit? An
 quia sola est misericordia, cui omnes virtutes
 cedere honorabiliter non recusant, nullaq; re-
 propius

Cassiod.
 var. II.
 ep. 9
 Scal. exere.
 141. sec. 4.

propius accedere ad Deum possumus, quam bonitate? Bonitatis autem certissimum fundamentum in animi aequabilitate consistit, qua humana omnia aequè, bonè, consulere par est. Imo sola hæc est, vel Iustiniano teste, per quam Dei servatur imitatio. Verum ut hæc ita se habeant: tamen in Dei misericordia & charitate contemplanda augustius quiddam se offert, si quis penitus inspexerit. Cur enim Deus Opt. Max. à tergo se conspiciendum præbens, solam misericordiam & gratiam pro penicillo usurpat? Nisi quia amor diuinus nos homines Deo copulat & iungit arctissime. Ideo toties misericordiam potius, quam sacrificium se postulare dicit. Et Salvator noster charitatem præcipue suis commendat: oratq; cum primis, ut charitas, qua Filium Pater dilexit, sit in nobis, & ipse in iisdem. Revocat vero nos ad exemplum imò archetypum omnis charitatis, Patrem cælestem: quem ex Tauleri sententia nemo dulciori forma quam caritatis exprimet, & in quo non misericordia & caritas vulgaris, sed ipsa misericordiae viscera sese pandunt.

Misericordiam igitur & caritatem nostram declaremus non tantum erga amicos, sed & inimicos: quia & Pater inimicos nos & peccatores dilexit: deponam⁹ superciliū, quod in fratres sumere solem⁹, iudiciū & contemnationem

ante

I. ult. C. de
don.Gen. 33. 19.
Eccl. 34. 6.

Ose. 6. 6.

Zach. 7.

2. 9.

Esa. 58. 3. 6.

Matt. 9. 13.

Ioh. 13. 34.

Cap. 114. 12

17.

Cap. 17. 26.

Luc. 1. 78.

Matt. 9. 36.

Cap. 15. 32.

Mar. 8. 2.

ante tempus non sumamus. Est enim qui iudicet, cui quisq; velut proprio domino, stat vel cadit: & cui omnes ad tribunal aliquando sistant oportebit. Ne igitur alius de alio iudicemus: sed in hoc iudicium adhibeamus, ne fratrem offendamus. Diligamus nos mutuò, vere, non simulate. Non elate de nobis sentiamus, sed humilibus obsecundemus, ne in nobis illud competat Poetas

Rom. 5. 8.
Luc. 6. 35.

Rom. 14. 4.
10. 13.
Rom. 12. 9.

Phil. 2. 3. 4.

Cum tua pervideas oculis malè lippus
inunctis,

Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum.

Quisq; fratrem suum prestantiorem se ducat, ac ut brevissime dicam, quod nobis fieri volumus, aliis non faciamus: quod volumus, nemini negemus. Hæc pondera, has mensuras iustitiæ, & misericordiæ divinæ, in humanis etiam actionibus diligentissime servemus & custodiamus, ac interim fonti omnis misericordiæ & bonitatis perpetuas laudes sonemus, dicamus & faciamus, Amen.

Mat. 6. 12.

DOMINICA CAPTUS PISCICUM FELICIORIS. Luc. 5. v. 1.

Non in terra tantum, sed & aqua magna Dei nostri facta apparent: Itaque & aquam
sua

Ps. 107. 22.

Pf. 107. 22. *sua prædicatione sanctificare saluator noster voluit, & ex navigio in littore stantes auditores erudire. Securior & tutior siquidem fere horum quam concionatorum conditio. Memorabile vero, quod in nomine Salvatoris Iesu Christi iactatum rete infinitam piscium multitudinem, licet locus & tempus ad versarentur, comprehendit, & nec quicquam frustratur laborantium industriam. Felices igitur, qui Christum in eadem navi secum habent, aut huius sequentes iussum, & nomen prædicantes, rete suum in mare huius mundi iactant. Dictitant alij.*

Mundus hic est Pelagus, regina pecunia, nauta est.

Atq; illam ducant aurea vela navem.

Hag. 1. *Sed quid ista ad animæ salutem proficiunt? Vere scimus & experimur aurea esse hæc secula: quibus nihil nisi auri causa fit: at intelligunt pii, nihil illa conditione esse miserius. Nam si divina desit gratia, licet spectetur ad multum: parum tamen esse invenietur: & ædificata domus dilabetur: diffluentq; importata: & quamvis totam hanc noctem peccatorum in tenebris mundanis quis consumat laborando, nihil tamen capiet: ipse quinimo captor captum se, & velut*

Pf. 127. 2:

velut corvum hiantem delusum, postea depre- Ier. 16. 16.
 hendet: & ubi ira cœlestis ad versus immania
 Scelera efferbuerit, à piscatoribus & pœnarum
 diuinarum executoribus, tandem compre-
 hensus æternum peribit.

Quapropter omiſſis mundi vanitatibus, stu-
 deamus serio verbi diuini lectione & auditio-
 ne tempus omne impendere: ut labores reliquũ
 succedant felicius. Piscatoribus Evangelicis
 aures libenter præbeamus, & hamo gratiæ nos
 capi patiamur. Dextram manum ad sacras, si-
 nistram ad mundanas & profanas operas ex-
 tendamus: & quamlibet horam, qua de Deo
 non cogitamus, perdidisse nos putemus. Quod si
 piscationis nostræ & diuinorum officiorum di-
 vortium facere necesse sit; ne pigeat relicta na-
 vicula Iesum Christum sequi; quem pro via
 & veritate solum & optimum ducem hic & in
 omni æternitate habere conuenit, laudesq; ei-
 dem, cum Patre & Spiritu sancto, tempore glo-
 riæ & ignominie dicere nunquam desituras,
 Amen.

DOMINICA IUSTITIÆ CHRIS-
 tianæ & Pharisaicæ. Matth. 5. 20.

Vere dixit, qui veritas ipsa est, opus esse no-
 bis alia iustitia, quam qua Pharisei Deo
 placere

H

placere

placere se putabant. Quæ illa & unde quæso?
Jer. 25. 6. Ne longus sim, Christiana: ab eo, qui Iehova iu-
 stitia nostra est & dicitur. Hic vero iustus, &
 abundanter iustus est, ut ex plenitudine eius o-
 mnes accipere possimus. Quapropter ad hunc
Johan. 1. 16 gratiæ fontem accedentes iustitiam quæramus,
 non in nobis sed in Deo, qui nobis factus est iu-
 stitia, sanctificatio & redemptio.

AEquum porro est, ut iustificati gratis exer-
 ceamus opera iustitiæ: & tanquam filij Dei in-
1. Ioh. 2. 29. cedamus, caritatemq; cum primis sectemur, di-
Cap. 3. 1. ligentes proximum nostrum, quemadmodum
 nos ipsos. Imo quemadmodum Deum scimus
 nos dilexisse. Ponamus similitates, odia & isto-
1. Ioh. 3. 15 rum vitiorum radices extirpemus. & homicidij
 crimine hætenus etiam immunes nos præste-
 mus, ut neq; gestu, dicto aut per conatum nocen-
 di mandatum caritatis transgrediamur. Intue-
Rom. 5. 10. amur fidei nostræ Ducem Iesum Christum, qui
 inimicos nos dilexit antequam reconcilati es-
 semus: qui quanquam læsus & offensus pri-
 mum omnium nos dilexit: cuius ministri ad-
 huc orant, nos ut Deo reconciliemur.

Ne igitur pigeat nos fratribus remittere et-
2. Cor. 4. 20 iam iustas offensiones. Ne malum pro malo red-
Rom. 12. 17. damus: vincamus bonitate malitiam, & quã-
18. 21. tum in nobis est, cum omnibus pacem habea-
1. Thes. 5. 15 mus.

Condone-

MEDITATIONES SACRÆ. 99

Condonemus nobis mutuo, sicut & Christus
 cōdonavit nobis: & cogitemus posse & nos ali-
 cubi offendere, & veniam sperare. Ne ut ini-
 micum aliquem ducamus, sed ut fratrem ad-
 moneamus. Benedicamus his, qui nobis male-
 dicunt, scientes nos quoq; ad benedictionis hære-
 ditatem vocatos esse: ut in die magna non
 tortori tradamur, sed cum aliis benedictis à
 Patre cœlesti, per Filium, ad eiusdem haredita-
 tis plenissimam possessionem aliquando voce-
 mur. Amen

Eph. 4. 32.
 Gal. 6. 1.
 Col. 3. 12. 13
 2. Thes. 3. 15
 1. Pet. 3. 9.

DOMINICA AUDITORUM QUAR-
 ter mille, saturatorum à Christo panibus
 septem, & paucis piscibus, Marci 8.
 vers. 1.

Pater noster Iesus Christus est, nil nobis neq;
 ad corporis neq; animæ salutem pertinens
 deerit: etiam in atra letiferaq; valle & deserto
 Dalmanutha mensam instruxit olim, & hodie
 sæpe solitudinem reddit, aqua stagnantem, ari-
 dumq; solum lymphis scatens, ubi famelicos
 collocet, & ad oppidum condendum necessariis
 omnibus donet. Felices ergo qui ab huius Pro-
 phetæ ore pendent, huius dicta audiunt liben-
 ter. Quomodo his fames nocere potest? quo-
 rum causa $\omega\lambda\acute{\alpha}\gamma\chi\upsilon\alpha$ in Christo misericorde

Psal. 23. 14.
 Psal. 107.
 24. 35.
 Num. 11. 5.
 25.
 Exod. 16. 13
 & 17. v. 6.

- Mat. 8. 2. commouentur, imò ipsemet Christus è cœlo de-
 Luc. 1. 78. scendit, quem partibus à nostris habentes, ad-
 uersa omnia nihil facere debemus.
- Rom. 8. 31. Sequamur igitur hunc nostrum Ducem, &
 32. 35. magnas opes & voluptates mundi relinqua-
 mus leonibus, huius seculi filiis, quos in ista co-
 pia summa vel hic vel certè alibi premet pe-
 nuria. Satis nobis sit Deum propitium habere:
 & hoc scire, timentibus Dominum non defore
 ullum bonum: sed omni ætate illis præsto fu-
 tura necessaria. Habet pietas promissiones huius
 & futuræ vitæ. Simus igitur contenti præsen-
 tibus: & quamvis nihil habeamus: tamen o-
 mnia per Christum nos obtenturos speremus.
1. Tim. 4. 8. Ambiamus diuitias spiritus: ut mundanam
 cap. vlt. 6. paupertatem ferre facilius possimus. Ita fiet ut
 2. Cor. 6. 10. comedentes non tantum, te ô Deus manum præ-
 Phil. 4. 12. sertim aperiente, saturemur bonis: sed & frag-
 Apoc. 2. 8. mentorum septem sportas colligamus, Dominiq;
 Psal. 104. 26. Dei nostri benignitatem, semel aperto fonte mi-
 2. Cor. 9. 10. sericordiæ, deinceps in omni vita constanter
 3. Reg. 4. 48. sentiamus, Amen.
4. Reg. 4. 28.

44.

DOMINICA PRÆDICTORUM

a Christo verorum & falsorum Pro-
 phetarum. Matth. 7.

vers. 12.

Verumq;

Vtrumq; voce tua, Iesu Chryste, prædictum Deut. 13. 1.
 fuit, fore in populo tuo omni tempore fal- Ier. 5. 1. 31.
 sos vates, hæreses & offendicula plurima, quæ cap. 8. 10.
 annitente Spiritu mendace Ecclesiæ tuæ pacem Ca. 23. 1. 9.
 & tranquillitatem turbare conabuntur. Etsi 31. 25.
 vero cauendos etiam illos, & vitandos, & a- Ez. 2. 28.
 gnoscendos ex fructibus monuisti: tamen natura Act. 20. 29.
 nostræ tarditatem & imbecillitatem, cum mul- 1. Cor. 11. 19
 tiplici fraude & impostura Diaboli, qui in ve- 2. Thess. 2.
 ritate, cuius sermo simplex est, non perstitit, con- 9. 10.
 ferentes, eiusdem membrorum peruersos mo- 1. Tim. 4. 12.
 res animadverentes, rogamus te optime Pater Rom. 16.
 & Prophetarum maxime, velis animos nostros 17. 18.
 ad veram tuam agnitionem inflectere, ut oves 2. Tim. 3. 1.
 tuorum pascuorum maneamus: attendamus 1. Tit. 6. 3. 4.
 tuæ genuinæ voci, ululatus impiorum luporum 2. Thes. 3. 6.
 & hiænarum caueamus, discernamus vestes Ioh. 8. 44.
 justitiæ, ab ascititiis coloribus Satana: Angelos 2. Cor. 11. 3.
 lucis, ab angelis tenebrarum: non credamus et- Deut. 18. 15.
 iam miraculis & religiosis ritibus & moribus, Luc 7. 16.
 cum tua veritate in fundamento pugnantibus. Iohan. 1. 46
 Retineamus unum illud & necessarium, ut Ezech. 34.
 voluntatem Patris cœlestis faciamus: nec tan- 1. 11. 16.
 tum ore & labiis, sed magis corde ad te appro- 22. 31
 pinquemus: sit eadem oris & cordis nostri har- Zach. 11. 7.
 monia, & quod ore profitemur, opere exprima- Zach. 11. 3.
 mus: ut in tuo grege semper reperti, & fructum Act. 20. 29.
 ferentes bonum, in te vera vite inventi in die Ps. 132. 9. 16
 magna Zach. 3. 4. 5
 2. Cor. 11.
 13. 14.

Deut. 13. 1. magna ceterorum quoq; electorum tuorum nu-
 2. Thes. 2. 9. mero mereamur aggregari, Amen.

1. Tim. 4. 1.
 Luc. 10. 42.

Cap. 11. 28. DOMINICA REPREENSI IN-

Esa. 29. 30. justi œconomi, & collaudatæ tamen pru-

Luc. 6. 46. dentia filiorum seculi, ad excitan-

Ose. 10. 1.

Mat. 25. 15 dum in filiis lucis vigilantanti-

am. Lucæ 16. v. 1.

IN Magna domo tua, Domine, agnoscimus & nos operis familiaribus destinatos talentum accepisse, non ut prodigamus aut abscondamus, sed ut cum eodem negotiantes prudenter, rationem villicationis nostræ reddere aliquando integre, aut alio modo damnis futuris in tempore prospicere possimus. Verum est etiam nos bona cum spiritualia tum corporalia turpiter prodegisse: neq; id te, ô optime Paterfamilias, latet, ad cuius Sanctas aures non solum ista pravitas per nubes ascendit: sed & de qua nos conscientia accusat. Prudenter igitur in tempore rationem inire oportebat, qua iram tuam declinare aliquando possimus.

Gen. 18. 20.

Psal 94. 9.

Rom. 2.

15. 16.

Psal. 2. 12.

Et ecce non solum optime Medice, morbum nobis nostrum, sed & Medicinam doces. Iubebemur bona corporalia amicis elargiri, ut in illorum tabernacula tunc, cum nobis foro & bonis cedendum erit, recipiamur. Quantulum

autem

MEDITATIONES SACRÆ. 103

autem illud est, ô homo, ut carnalia ferentes
 spiritualia metamus? Faciunt certe illud fi-
 lij seculi, & quibus modis possunt opes ambiunt
 perituras. Cur non igitur nos opibus, diuino
 munere concessis, ita uteremur, ut iis indigen- Psal. 41. 1.
 tium necessitatem sulevemus, ut horum testi- Tob. 18. 5.
 monio beneficentiæ laudem habeamus, qui pro-
 priæ conscientie iudicio malæ administratio-
 nis rei fueramus? Hoc enim modo beati iam-
 dudum pronunciati sunt, qui egentium habent
 rationem, ac in die mala liberandos fore est
 scriptum, & talis quidem beneficentia à mor-
 te liberare dicitur.

Apprehendam igitur has novas tabulas, &
 qui solidum solvere nequimus, culpam apud
 Dominum deprecantes, pro fructu fidei aliquid Mat. 25. 40
 proximo egeno impendamus: fietq; ita ne in plus Pro. 19. 17.
 deinceps conveniamur: sed cū egenis in parata
 iam dudum electis & benedictis omnibus ta-
 bernacula recipiamur, Amen.

DOMINICA PRÆDICATÆ A

Salvatore vastationis Hierosolymi-
 tanæ, & excidii Judaici.

LUC. 19. 41.

Certum est, benignissime amator hominum Psal. 5. 4.
 Deus, nolle te peccatum aut mortem Ez. 33. 16.
 H 4 hominum

Sap. 11. 12. hominum, sed ut convertatur homo & vivat:
 Ose. 14. 5. & amare te tua Spöte homines, etiam cum eos,
 Psal. 78. paulisper puniendo obiurgas, ira in eos tua co-
 40. 41. ercisa. Sed cavendum nobis, ne tua misericor-
 Iere. 15. 6. dia & patientia abutamur, ne te miserendo
 Esa. 27. 3. fessum reperiamus.
 Iesa. 1. 14. Proinde quæramus Dominum dum inveni-
 Esa. 55. 6. tur, ne absentem frustra requiramus: vocanti
 Pl. 95. 8. 9. pareamus, nec obduremus corda nostra. Pude-
 Ier. 8. 7. at nos ignorare visitationis paternæ tempora:
 Esa. 63. 10. cum ciconia, turtur, grus & hirundo sui ad-
 Psal. 18. ventus tempus observent. Ne sancto Spiritui
 86. 43. dolorem faciamus: ne versus nobis in hostem
 ipse nos oppugnet. Ille enim se puris purum, per-
 versis intractabilem præbet: & eos, qui sibi
 vocanti non parent, invocantes indefensos re-
 linquit. Cum primis autem operam demus, ne
 Esa. 56. 7. sanctum eius templum profanemus. Domum
 Ier. 7. 11. orationis precibus occupemus: neque cum illis
 Psal. 26. 4. faciamus, qui eam pro spelunca grassatorum
 5. 8. 9. habent. Fugiamus omnia prava consortia, &
 in hisce extremis ruinis mundi, & furoribus
 grassantium hostium tuorum, orando ne defa-
 tigemur, sed tacendo, precando vitam transi-
 gamus: ut ingruente die magna, per te Domi-
 num liberatorem colligamur sursum, teque in
 omnem æternitatem laeti celebremus, Amen.

DOMI-

MEDITATIONES SACRÆ. 105
DOMINICA PHARISÆI ET
publicani dissimiliter precantium
in templo, Lucæ 18. v. 9.

Iam ante fideliter tuam, ô benignissime Deus Matt. 5. 20.
Iesu Christe, gregem admonueras, alia nobis
iustitia quam Pharisaica opus esse: & ne me-
moria excideret cautio fidelis, ecce denuo, quod
verbo docueras, exemplo illustas. Breue iter per
præcepta est; longum autem, sed idem utilissi-
mum per exempla. Igitur iuvat tecum, ô opti-
me Magister, nobile hoc par precantium & ad
justificationem pergantium intueri.

Sed quid oculos huc atq; illuc vertere necessari-
um est? Potius imo est cum publicano quoq; oculis Dan 9. 7.
in terram demissis, indignitatem nostram con- Esa. 64. 6.
templari, confiteri, veniam peccatorum petere,
& cor ad te unicum nostrum Mediatorem pro
consequenda venia attollere. Neq; enim quic- 1. Cor. 15.
quam in nobis dignum premio invenimus: 9. 10.
& licet omnia fecerimus, inutiles seruos nos Cap. 1. 28.
profiteamur: tatum abest, ut aliorum erroribus 29. 31.
insultare debeamus. Stat & cadit quisq; Domi- Luc. 16. 10.
no suo & qui etiam per fidem stant, non esser- Rom. 1. 18.
ri animo, sed timere debent.

Submittamus nos potenti manui Dei, ut nos 1. Pet. 5. 6.
in tempore extollat: exaltationem nostram hu- Luc. 1. 52.
miliatio præcedere debet. Ita caput nostrum
H S Christus

Luc. 14. 11. Christus incessit: proinde & membra illi con-
 Luc. 24. 26. venienter ambulare decet. Priores sunt tribu-
 Mat. 20. 28. lationes: posteriores glorificationes. Ut iusti-
 Luther. fiamus, peccatores nos esse necesse est: nihil si-
 mus oportet, ut aliquid coram Deo fiamus: cu-
 ius opera vere sunt manifesta & efficacissima
 in medijs contrarijs. Fac optime Deus, Fili Dei,
 Ier. 23. 6. ut omissa vana persuasione Pharisæica, semper
 1. Cor. 1. 30 preces publicani imitantes, te solum nostram
 iustitiam & sapientiam invocemus & laude-
 mus in æternum, Amen.

DOMINICA SURDI ET MU-
ti, sanati à Domino Mar.

7. 31.

Mat. 19. 17. Vere bonus est Deus noster, qui opus suum,
 Gen. 1. 31. quod initio bene fecerat, à Diabolo tur-
 pissime deformatum rursus sic instaurat, ut
 2 Cor. 3. 5. 6. pristinam referat bonitatem. Natura nostra
 Ps. 51. 8. 152. initio bona condita, postea ad omne bonum in-
 idonea, & ne ad cogitandum quicquam be-
 ne habilis reperta est: lingua ad Dei laudem
 muta, aures surdæ inventæ. Et qui tantæ ca-
 lamitati recte mederetur, ab initio Mundi usque
 Exo. 15. 26. visus est nemo. Solus Iesus Christus, optimus
 medicus omnium verorum Israelitarum, opi-
 ficii sui misertus, vinculum impeditæ linguæ &
 obstructæ

MEDITATIONES SACRÆ. 107

obstructarum aurium soluit. Venit enim in hoc, ut destrueret opera Diaboli. Abstulit impedimenta, quæ viam nobis ad cæleste regnum intercludebant. 1. Ioan. 3. 8.

Proinde & nos digitum huius nostri Ducis sequentes, & Spiritui sancto per verbum efficaci parentes, tantorum bonorum participes fieri studeamus. Ne præputio cordis & aurium delectemur: sed abijcientes veteris hominis indolem, ut nova Dei nostri creatura, novum Deo canticum sonemus. Avertamus oculos, ne videant vanitatem; aures ne turpitudinem audiant; contineamus à malo manus & pedes nostros. In rebus autem bonis, & audiendo verbo Dei, aperiamus oculos, aures, & expeditis gressibus inoffenso pede incedamus: & nunquam non bonitatem Iesu Christi ore & opere sonemus & prædicemus, Amen.

Act. 7. 51.
Psal. 95. 8.
Pl. 119. 18.
37. 48. 105.
108.
Psal. 40. 6.
Ose. 14. 3.
Heb. 13. 15.
16.

DOMINICA PRÆDICATÆ

Dilectionis Dei & proximi, repræsentatæ in benefico Samaritano. Luc. 10.

vers. 23.

Gratiam tibi agimus & habemus, o benignissime Deus, quod nostros oculos & aures ita beare volueris, ut beneficio sancti tui ministerij

fieri liceat nobis te videre & audire, promissum jam olim patribus, & iisdem summa voluptate & cupiditate expeditum. Tu es illud, **Esa. 64. 1.**
Gal. 3. 16. ô Fili Dei Iesu Christe, benedictum semen, in quo omnes gentes rursus benedici, & à male-
Rom. 7. 12. dictione legis liberari oportet. Bona est lex & **23.** sancta: sed quæ tanquam in speculo nobis immundiciem & inopiam nostram refert & quæ regnum cælorum, non nisi omnia eius præcepta facientibus, largitur. At cum hoc modo in perpetuum exulare à cælesti Hierosolyma cogermur, & in via Hierichuntina saucii perire, nec quicquam nos curante Sacerdote aut Levita; tandem tibi, ô optime Samaritane, placuit misericordia erga nos uti, & spoliatos spiritualibus bonis, vulneratos in naturalibus, sublato tandem semimortuos in peccatis & sanguinolentos, vi verbi tui vitæ & sanitati restituere: & impositos jumento, humanis funibus & loris amatoris, ad Ecclesiæ sanctæ tuæ & divinitis aulæ societatem perducere: Ex quo apparet cælestis regni gloriam veluti hæreditate nobis obtingere, ut sit res non parta labore, sed relicta: & ex dono Dei, non merito nostro.

Ez 16. 4.

5. 6.

Osc. 11. 3.**Gal. 2. 8.****Rom. 8. 17.****Eph. 2. 8.****Rom. 6. 23.****Rom. 4. 14.**

16.

Proinde tanto magis nunc Deum ex toto corde amare debemus, & amorem istum in proximo amando demonstrare. Caritas enim Dei, absq; charitate proximi, perfecta esse nequit. Da igitur

MEDITATIONES SACRÆ 309

igitur, benefice Samaritane, ut pro ista tua immensa misericordia, tibi perpetuo gratias agamus: & gratitudinem amoremque nostrum, fidem etiam in te veram & solidam, bonis erga proximum operibus clarissime testemur, Amen.

Mich. 6. 8.

Rom. 13. 8.

10.

Eph. 2. 10.

DOMINICA MUNDATORUM

Decem leproforum, & in his grati
vnius Samaritani. Lucae

17. v. 21.

Agnosimus, ô benignissime Iesu fili Dei, nos quoque pessime affectos, & primitivæ parentum lepræ subiectos, te indigere Medico. Proinde & nos, tuam imploramus opem & medicam manum. Tu enim Iehova & Medicus es Israelitarum & fidelium omnium optimus maximus. Tu solus & delicta nostra, & pœnas eorum, ut agnus immaculatus tollis. Te loquente, cessant morbi & ægrotudines. Neque enim herba aut malagma sanare ægrotos potest, sed sermo tuus Domine, qui sanat omnia. Tu λόγος æterni Patris sanas infirmitates nostras, dolorum ægrotudinisque nostræ probe gnarus.

Mat. 9. 17.

Exo. 15. 26.

Isa. 53. 47.

Pl. 107. 19.

Sap. 16. 12.

Heb. 2. 174

18.

Stant leprosi & tuam sollicitè expectant curam. Nec mora: annuis, & ad ministerium eisdem ablegas. In Ecclesia enim quæ nostræ naturæ immundities & puritas sit docemur: ad
EAM

eam & congregationem fidelium nos quoq; ag-
 gregare debemus: & præsertim, liberati à ma-
 lis, Domino liberatori canticum novum canta-
 re. Conuenit præcipue ægrotis sanatis ut Deo
 gratias agant: quemadmodum Rex pius Eze-
 chias fecisse legitur. Imitemur gratum istum
 Samaritanum, ne cum no-rem ingratis perca-
 mus. Vitium est ingratitude omnium pessimū,
 fontem exhauriens benignitatis & misericor-
 diæ: ac fructum diuinæ benignitatis ipsimet
 ingrato interuertens. Sunt quidem sanati no-
 rem isti: sed hunc gratum Samaritanum fides
 non falsa per opera elucens, etiam saluum fe-
 cit. Da optime Iesu, ut non tantum opem tuam
 in omnibus aduersis experiamur: sed & libe-
 rati ex malis, tuum nomen grati celebremus &
 prædicemus in secula, Amen.

DOMINICA CURÆ CHRISTI-
 anæ, & vanæ sollicitudinis.

Matt. 6. 24.

Recte monuit summi Patrisfamilias unige-
 nitus filius, Regni & cœlestis domus ciues
 & ministros toto corde Deum & Regem omni-
 um venerari & colere debere: sic ut huius
 tantum sanctificetur nomen, regnum propa-
 getur

MEDITATIONES SACRÆ. III

getur, & voluntas perficiatur. Extra illum quicquid est, perinde habeamus, atq; si iis peregrinantes in diversorio uteremur. Proinde opes si affluant, ad eas cor apponere minime debemus, neq; in auro spem, aut in obrizo fiduciam nostram collocare: quandoq; videm radix omnium malorum est avaritia, imo ipsamet idolatria: & nemo simul Domino & mammonæ servire potest: Dominū igitur & patrem nostrum sequamur. Mammonam & Baalem omittamus, & puro corde & opere illi soli serviamus, qui nos creavit, aluit, educavit, & perditos nostra culpa, rursus dato proprio filio sibi sanguine precioso mercatus est.

Psal. 62. 11.
Iob. 35. 24.
1. Tim. 6. 10
Col. 3. 5.

3. Reg. 18. 21

Ne nos fatiget tristis de victu mundano sollicitudo: sed ea in Dominum & Patrem familias reiecta, non periturum cibum procuremus. Ne putemus Regnum Dei esse cibum & potum: sed iustitiam, pacem & gaudium per Spiritum sanctum. Ne cibi causa destruamus opus Dei. Cogitemus nos excellentioris boni causa in hoc mundo vivere, neq; propter hanc vitam, sed illam quæ futura est post mortem, vivere, si ve verius paulatim mori. Consideremus diuinam erga res cæteras creatas beneficentiam: neque minore erga nos cura & pietate affici cælestem patrem credamus. Nam qui proprium filium dedit, cur non & cætera deitæ dona nobis

Esa. 1. 2.
1. Cor. 6. 19
20.
Cap. 7. 23.
Ioan. 6. 27.
1. Pet. 5. 7.
Rom. 14.
17. 20.

nobis gratificabitur? Ne tam parum creduli
simus.

Pfal. 127.2. Ambiamus omni conatu regnum Dei, & vel
1. Tim. 6. 7.8. dormientibus nobis cetera pro auctorio adijci-
Pro. 30.8. entur, ut iis copiose frui possimus. Satis nobis
Pfal. 49.7. sit pasci stato victu & demenso: habentes ali-
m. 18. menta & tegumenta contenti simus: de crasti-
no non laboremus, & æugiov non congeramus
adeo solícite opes nostras, incerti quis eas ali-
quando sit habiturus. Vivamus ut ἡμεροβίοι,
Salvian. Massilien. ad Eccles. Cath. lib. I panem quotidianum ex benignissima Domini
Pfal. 23.1. manu sperantes. Ita rursus ipse quoq; plenam
nostri curam geret: & nihil plane tam quo-
ad animam quam corpus nobis deesse patie-
tur.

DIE FESTO SANCTISSIMO
rum Angelorum, & Archangeli Mi-
chaelis. Apocal. 12. vers.
7. & seq.

Ioh. 38 7. **O** Vere nobilissima filiorum Dei familia,
Pfal. 104.4. quæ ab initio mundi non tantum Deo cre-
Heb. I 14. atori letum iubilum personasti, & serviisti
Mar. 18.4. subiectissime: sed & hominibus infirmis, mul-
toq; te ignobilioribus, ministrare non dedigna-
ris. Scilicet hæc est tantopere à Salvatore com-
mendata humilitas: qua non servata, Lucifer
castro

cælo delapsus est, quam à pueris desumpto exē-
 plo descriptam legimus. Recte vero & puero-
 rum & adultorum sunt angeli tanquam san-
 cti vigiles additi. Excubias etiam agunt pro
 imperiorum magnorum tranquillo statu, pro
 pace Ecclesiastica & œconomica: ita ut quasi
 castra circa pios omnes metata cernere liceret,
 si modo apertis oculis in sanctam illam custodi-
 am, ut Prophetæ famulus clarissime possemus
 intueri. Hi sunt spiritus fidelissimi, Deo & no-
 bis amicissimi, qui tam de super mandata à Do-
 mino accepta hic exequuntur, & nos defen-
 dunt: quàm preces & lacrymas nostras ad Deū
 altissimū perducunt & in scala Iacobæa ascen-
 dunt & descendiunt: Sunt igitur exercitus & copia
 cælestes, militiam continuam aduerso impuros
 spiritus exercentes: ne ab his qui tanquam
 rugientes leones nos circumeunt, devore-
 mur.

Beati vero sumus, si huius sanctæ militiæ &
 cælestis custodiæ fructum servamus: imo secu-
 ri aduersus omnia mala sumus: plures enim
 sunt à nobis quam contra nos. Certe non Ange-
 lus unus, sed plures, aeq. saltem Archangelus
 Michael: sed Angelorum omnium caput, verus
 ille Michael & splendor gloriæ divinæ, & ex-
 pressissimus character Patris, militiæ illi præ-
 est: & iam dudum in semet inimicos nostros &
 malos

Esa. 14. 12.
 Iudæ Ep.
 .6.
 Aug. de ci-
 vit. Dei
 lib. 11. c. 15.
 Mat. 18. 10.
 Dan. 4. 13.
 Cap 10. 13.
 Psal. 34. 8.
 4. Reg. 6.
 16. 17.
 Psal. 91. 11.
 Ps. 103. 20.
 Apoc. 8. 3. 4.
 Gen. 28. 12.
 Ps 103. 21.
 Gen. 2. 1.
 1. Pet. 5. 8.

Psal. 91. 11.
 Dan. 10. 13.
 20. 21.

Cap. 12. 1. malos Spiritus deuicit: sed & quotidie in mem-
 Apoc. 12. 7. bris suis, licet imbecillibus, vim & potentiam
 Heb. 1. 3. Satanae frangit: & in infirmitate nostra vir-
 Psal. 135. tutem suam perficit. Felices, qui hæc beneficia
 1. Ion. 2. 13. summi Dei prædicant, & pro parte nobis victo-
 14. 2. Cor. 12. 9. ria, gloriam vero Michaeli, cum Patre & Spiri-
 Esa. 6. 3. tu sancto tribuunt: Sanctum, Sanctum, San-
 Apoc. 4. 8. ctum Deum Sebaoth, semper cum castissimis
 Cap. 12. 10. Angelis prædicantes.

Quocirca agite, amplectamur gratis animis
 3. Pet. 2. 4. diuinæ beneficentiæ munera: caueamus pecca-
 ta, quæ etiam in ipsis Angelis Deus impunita
 esse noluit. Gratis animis recolamus castissimo-
 rum Angelorum erga nos beneuolentiam: neq;
 fumo impuritatis nostræ eosdem à nobis abiga-
 mus. Magni ducamus eorundem familiarita-
 Luc. 16. 22. tem, ut cum aliquando hinc discesserimus, ab
 Num. 14. 3. illis in sinum Dei Patris transferamur, & cum
 4. Eisd. 1. 19. ipsis & electis omnibus in omnem æternitatem
 Luc. 20. 36. panem Angelorum, veram Ambrosiam, come-
 dere possimus, Amen.

DOMINICA MOESTÆ VIDUÆ
 in oppido Nain, & resuscitati filii
 eiusdem. Luc. 7. v. II.

Rom. 5. 12.

Cap. 3. 19.

DE morte recte Ecclesia Christiana docet,
 quod per unius hominis transgressionem

MEDITATIONES SACRÆ. IIS

in mundum venit: & quia eadem labe in omnes eiusdem posteros propagata est, idē omnibus & æquale stipendium persolvere congruit. Quapropter omnibus hanc legem inevitabilem impositam esse credimus, ut semel moriantur. Verum infirmior hæc adversus mortem consolatio est: cum & gentiles necessitati isti parere non recusarint. Igitur apertis oculis non in lapides in nos coniectos, morbos & ægrotudines, & mortem ipsam tantum, sed iactorem, in peccatum nostrum: post in peccati & mortis victorem intueamur: illum inquam, qui dixit se vitam nostram & salutem esse: qui moriendo mortem destruxit, & vitam perennem omnibus in se credentibus reduxit: qui primitias eorum qui obdormierant factus, spem nobis attulit certissimam alterius vitæ.

Cap. 6. 23.

Psal. 14. 3.

1. Cor. 15.

56.

Syr. 41. 5.

Eccles. 7. 2.

Heb. 9. 27.

Ioan. 11. 25.

26.

1. Cor. 15. 54.

55. 20.

4. Esd. 9. 38.

Cap. 10. 1. 7.

Ingens certe est luctus mæstissimæ matris Ecclesiæ, quæ toties liberis à se educatis per mortem spoliatur, & viduitatem suam deplorat, neq; consolationem ullam efficacem inter homines reperit. Periret ergo nisi ἀπὸ μὴχανῆς Iesus Christus Sponsus Ecclesiæ morti obviam iret. Intra vit mors in urbem & aulam à Deo peculiariter conditam & ornatam: & effecit, ut ex ea primi parentes nostri expellerentur: & iam urbe efferendus erat filius huius viduæ

cum ecce extra urbis mœnia & castra appareat
 Ose. 11. 9. Propbeta ille magnus, de quo iam dudum Mo-
 Heb. 13. 12. ses dixerat, & quem populus tum quoq; auide
 13. expectabat, & gestatores funeris quiescere, mor-
 Deut. 18. 15. tuū surgere iubet. Parent gestatores: mors abit,
 Ioa. 1. 31. 45 vita redit: & loquitur qui mortuus putabatur.
 O benignissime Iesu: magnum illud tuum
 beneficium nos quoq; gratissimis animis prædi-
 Psal. 68. 21. camus: illud vnice orantes, ut & nos huius
 Heb. 13. 13. muneris participes facere non dedigneris. A-
 14. gnoscimus te esse Dominum & Deum nostrum,
 2. Cor. 5. 2. qui à morte liberare suos potest. Scimus & nos
 6. 8. hic exulare & opus habere ut ad te per mortem
 Phil. 3. 14. extra castra exeamus, & municipes cœlestis Pa-
 20. triæ efficiamur. Proinde hoc vnum agamus, ut
 ea quidem, quæ à tergo sunt obliuiscamur, ad
 ea vero quæ à fronte sunt contendamus. Opte-
 Phil. 1. 23. mus subinde hinc migrare, & esse cum Christo:
 21. eundem pro lucro nostro in vita & morte du-
 1. Thes. 5. 10 camus: & siue vigilemus siue dormiamus, aut
 Rom. 14. 7. etiam moriamur Domini nos esse, & huic tam
 8. 1. 9. 10. mori quam viuere nos debere existimemus: ut
 deinceps in resurrectione primam partem habere,
 & à morte secunda immunes, imo & sacerdo-
 Apoc. 20. tes Dei & Christi in omnem eternitatem esse
 6. 14. possimus, Amen.

DOMINICA SANATA I A DOMINO
 hydropici die Sabbati. Luc. 14. v. 1.

Hydro-

Hidropicus non ille tantum fuit, quem in hac historia contemplamur: sed nos omnes: qui peccatum ut aquam pariter imbibimus: qui relicta aqua viua ad cisternas impuras defleximus, & cum vetito pomo succum vitiosissimum hausimus. Tanto igitur morbo & siti perpetua correpti, Medico cum primis insigni opus habebamus: & ecce adest optimus Maximus animarum & corporum nostrorum Medicus, toties iam superioribus egregiis operibus demonstratus. Is enim vita est nostra: in hunc qui credit, ex eius ventre fluent flumina aquæ viuæ. Habet aquam à nobis bibendam, ex qua fons in vitam æternam fluit: hac hausta sanatur hydropisis nostra, nec quisquam in perpetuum sitiet. O bonum Medicum & salutarem medicinam! Felices, qui ab hoc fonte aquam petunt, & cisternas mundanas omittunt.

Luc. 13. 2.
Iob. 15. 16.
Ier. 17. 13.

Luc. 4. 14.
Cap. 7. 8.
Ps. 56. 8. 9.
Num 24. 7
Esa. 55. 1.

Verum enim vero peregit salutare hoc opus Dominus Die Sabbati: Recte. Nunquam enim Sabbato opera charitatis repugnant: cum expletio Legis sit charitas: & eandem affectionem quandoq; aliis rebus minoribus impendamus: turpissimum foret, externam Sabbati observationem tenere, & quæ grauiora sunt legis opera omittere: & per traditiones patrum irritum facere mandatum Domini. Multo vero minus is, qui Dominus est Sabbati, opus in nobis suum

Mat. 22. 11.
12.
Luc 13. 15.
Rom. 13. 10.
Col. 2. 16.
Mat. 23. 23.
24.
Mat. 15. 3. 6.
Mat. 12. 7. 8

Ier. 17. 13.

ipso Sabbato agere prohibendus est, cum huius ipsius rei gratia Sabbatum institutum fuerit. Ne igitur attendamus peruersis Pharisæorum traditionibus. Sed tu Domine Iesu, ipso Sabbato & omnibus diebus vitæ nostræ opus tuum Sanationis nostræ in nobis iugiter exerce: purga immundiciem omnem naturæ, & fac ut ex te vero vitæ fonte aquam viuam hauriamus: ut tu in nobis quiescas, & in die magni Sabbati cum omnibus electis ob illa tua dona te laudare possimus.

Luc. 1. 52.

Interea dum hic peregrinamur, largire nobis animum humiliter de te sentientem, neq; se ultra quam par est efferentem. Discamus potius quomodo humiles, quam quomodo magni esse possimus. Certior enim ab humilitate ascensus, quam in magnitudine perseverantia. A-

Ioh. 5. 19.

Psal. 113. 5.

Prov. 25. 7.

1. Pet. 5. 5.

Phil. 2. 3.

&c.

mat Deus humiles, neq; quicquam magis odit quam superbos. Humilitatem igitur veram petimus, & ne nos ciora tentet magnitudinis aut superbiæ perpetuo oramus, per eum qui ubiq; verum circumtulit humilitatis exemplum: & cui laus & gloria in æternum, Amen.

DOMINICA COLLATÆ LE-

galis & Evangelicæ doctrinæ, ab ipso

Messia filio & Domino Davidis

Matth. 22. 34.

Vere

Vere abs te, filij Dei Iesu Christe, ad captiosam interrogationem Phariseorum responsum est, duobus mandatis de dilectione Dei & proximi totam legem comprehendi: quemadmodum scientia omnis in cognitione Dei & nostri perficitur & absolvitur. Et quidem primū & precipuum mandatum est, ut supra res omnes omnibus viribus Deum diligamus. Cur non enim summum bonum summo amore prosequamur? Cur non totum figamus in corde, qui pro nobis totus fixus est in cruce? Quidni illi, qui primogenitum & unicum suum filium in mortem pro nobis dedit, rursus etiam cor nostrum, quod primum omnium in nobis generatum primogenii nomen sortitur, consecremus? Impendendus profecto totus homo est, Deus esse ut possit in ipso.

Mar. 12. 30.

Luc. 10. 27.

Rom. 13. 8. 9

Gal. 5. 14.

A Deo rursus in secundo mandato ad proximum descendimus, eumq; non minus atq; nosmet ipsos diligere jubemur: & pronunciat vox veritatis, hunc cultum & amorem, illi cultui, quem Deo præstamus, non dissimilem esse. Mirabilis certe exæquatio, & cui congruit quod alibi dicitur, scenerari eum Domino, qui pauperi commodat aut mutuatur & quod in pauperibus, famelicis & nudis se pasci & vestiri Christus profitetur. Vult Dominus perinde

Prov. 19. 17

Matth. 25.

40. 45.

Ioan. 15. 13.

Iacob. 2. 8.
14. 17.

nosmet invicem diligere debere, prout & ipse
met nos dilexit. Quin imo ut fides Deo Opt.
Max. debetur: ita dilectio proximo sine excepti-
one: & mortua censetur fides, quæ non per ope-
ra charitatis in proximum effunditur & in-
clarescit. Deniq; totius legis expletio est chari-
tas ex corde puro, conscientia bona, & fide non
simulata profecta. Huic igitur præcepto Dile-
ctionis toti nos tradamus, & tam Deo quam
proximo amorem nostrum, quâtum poterimus,
probemus.

Rom. 13. 8.

1. Tim. 1. 5.

1. Ioan 3. 10

Gal. 3. 19.

Cap. 5. 7.

Psal. 110. 1.

Heb. 1. 13.

Verum enimvero, quia imperfecta sunt ope-
ra nostra, à mandatis Mosis ad Messiam progre-
dimur: eundemq; non filium tantum, sed &
Dominum Davidis, & Prophetarum legalisq;
totius cultus supremum Moderatorem, agnosci-
mus. Hunc Dominus, non etiam Angelorum
quemquam, à dextris suis sedere iussit. Fac er-
go eterne Deus, ut & deinceps in Ecclesia san-
cta beneficia illa tua, quibus nos à maledictio-
ne legis absolvistis, grati prædicemus: & nihil-
ominus pro viribus charitatem & amorem
nostrum, tam erga te Deum Patrem, Filium &
Spiritus sanctum, quam proximum verbo
& opere declaremus, Amen.

DOMINICA SANATA A CHRIS-
to paralytici. Matt. 9. v. 1.

Vetus

Vetus est phrasis ista cognita, etiam patribus antiqui fœderis, & in novo repetita, te Iesu Christe fili Dei & hominis, Medicum esse & corporum & animarum nostrarum. Agnos-
 cimus dolentes non tantum corporales calami-
 rates, sed & interiores animæ infirmitates: paralysim contactu vetiti pomi contractam, qui ad omne opus bonum inidonei facti, non magis quicquam bene dicere, facere aut cogitare sine divina gratia possumus: quam non potest paralyticus membra syderata extendere. Non enim facimus bonum, quod volumus: sed malum agimus, quod nolumus. Atq; hæc quidem ob peccata nostra nobis acciderunt: quibus etiam non sublatis, impossibile est nobis restitui pristinam Sanitatem.

Proinde attendamus voci Domini nostri Iesu Christi, & in illum credentes, primum remissionem peccatorum impetremus, utpote cui omnes Prophetae de hoc perhibeant testimoniū, Sanationis & corporalis & spiritualis per remissionem peccatorum. Agnoscamus paralysim nostram, ne simus ἀναίδητοι, mortificemus membra nostra, & renunciantes carni, Spiritui seruiamus. Tu fili Dei Iesu Christe dic: tolle grabatum tuum, & ambula: simulq; dic: me sequere: ô qui via, veritasque, vitaque es, Patris Iesu soboles omnipotentis. Tum torpor-

Exod. 15. 26
 Esa. 3. 4. 5.
 Matt. 9. 12.
 Cap. 8. 17.
 2. Cor. 3. 5
 Phil. 2. 13
 Rom. 7. 9
 Ioan. 5. 14

Act. 10. 38.
 43.
 Col 3. 5.
 Iu. Scalig.
 Epidor.
 lib. 6.

*iners ex animo abscedet inani: Tum te sequar.
In his tenebris nisi manum des, quis monstret
iter? quis latus alleuet gravatum? Si usque
veniat, miserum quis levet cadentem? Se-
quamur igitur sapientiae vocem, & eandem
non iustificemus cum calumniatoribus, cum sa-
tis iustificetur in sermonibus. Laudemus Deum
Patrem, quod in hoc filio hominis sibi placue-
rit omnia reconciliare: quod denique interea per
homines sibi colligit Ecclesiam, & in magna die
per filium hominis mundum iudicabit.*

Mat. 11. 19.
Cap. 13. 45
Psal. 51. 4
Col. 1. 20. 21
Ioan. 5. 27.

DOMINICA NUPTIARVM
Cœlestium, & vestis nuptialis invitato-
rum. Matth. 22. 1.

*Q*uam sua viter, ô fili Dei & speciosissime
inter filios hominum Iesu Christe, oratio-
nibus tuis parabolicis homines ad cœlestia gau-
dia invitare voluisti. Regem Opt. Max. Pa-
trem tuum & Patrem Deumque nostrum agnos-
cimus, & te Ecclesiae tuæ dilectæ Sponsum uni-
cum, cuius amorem illa ab ineunte ætate eius
usque huc sensit flagrantissimum, & tales qui-
dem amoris flammæ, ut nullis aquis, ac ne
morte quidem ipsa extinguere potuerint. Tam
constantem amorem, ut neque Iudaici populi
contumacia, neque gentium maximæ partis
ingra-

Pf. 45. 1. 2.
Pf. 49. 4.
Psal. 9. 6.
Esa. 53. 5. 1.
Ose. 11. 1.
Cap. 2. 19.
Cant. 8. 6.
Matt. 9. 15.
Mar. 2. 19.
Ioan. 3. 29.

MEDITATIONES SACRÆ. 123

in gratitudine destiteris amare ad finem, quos
ab initio tibi mirando fœdere copula-
veras. Ioan. 13. R

Fac quæsumus fili Dei, Iesu Christe, ut hoc
magnum mysterium copulationis tuæ & com-
mercij sacri, animis nostris quoque infigamus,
vocanti tibi ad nuptias libenter pareamus, or-
nemus nos, ut obviam veniente Sponso, pul-
chre secundum interiorem hominem vestiti,
& innocentia induti reperiamur. Scindamus
corda nostra, non vestes: Cogitemus ornatum
filie Sponsæ esse ab intus: & nos hic in vespera
Sabbati operam dare debere, ut in ipso Sabbato
induti non nudî reperiamur. Interea quoque
præparatum à te in distributione corporis &
sanguinis tui convivium, $\mu\upsilon\kappa\kappa\omicron\sigma\upsilon\upsilon\upsilon\upsilon$, præ-
sentia tuæ, reverenter habeamus: ut aliquan-
do novum vinum in Regno Patris tui tecum
& omnibus electis bibere, veramq; Ambrosiam
edere possimus, Amen. Eph. 5. 23.
32.
Psal. 95. 8.
Heb. 3. 7.
Matt. 25. 9.
Joel. 2. 13.
Psal. 51. 11.
Psal. 54. 13.
2. Cor. 5. 5.
Eph. 4. 22.
Luc. 22. 29.

DOMINICA REGII MINI-
stri, Impetrantis à Christo sanationem
filij, Ioan. 4. v. 46.

SECUNDUM est hoc tuorum signorum, benignissime IESU, quod magno cum fructu
fidelium.

fidelium tuorum editum legimus: atq; ita qui-
 dem comparatum, ut cum maxime negares te
 signum editurum: tamen mirandam omnino
 rem in oculis tuorum præstares. Negas infide-
 libus & incredulis Iudæis aliud signum te da-
 turum, præter Ionæ signum: at rursus fidelium
 tuorum exactissimam rationem habens, sic eos
 tractas, ut ex imbecillibus fortes athletas effi-
 cias, & in infirmitate humana potentiam tuam
 efficaciter demonstrates. Non repellis regij huius
 infirmam & languidam fidem: sed ut quassa-
 tam arundinem & fumigans linum foves:
 & voluntatem timentium te facis.

Tu clementissime Servator hominum, adau-
 ge etiam nobis fidem. Da nobis plenissimam fi-
 duciam credendi tuis promissionibus, ut omni-
 no persuasum habeamus, omnes promissiones
 in te esse Amen: & licet ad illam $\pi\lambda\eta\rho\sigma\phi\omicron\upsilon\sigma\iota\alpha\upsilon$
 sanctorum, montes magnos & obstantia quæq;
 transferentium, non assurgamus: tamen no-
 bis locum inter illos relinque, qui qualicunq;
 instructi armatura fidei, à tua superna virtù-
 te cupiunt roborari. Scimus omnia tibi subie-
 cta, ut quæcunque vis facias, etiamsi externa
 media deficient. Paret ad nutum tuum natu-
 ra tota: & te iubente abeunt morbi, redit sa-
 nitas. Proinde nos quoque tibi optimo & po-
 tentissimo Servatori generis humani gratias
 agimus.

MEDITATIONES SACRÆ. 125

agimus, quod huius historiae fructum ad nos
etiam volueris pervenire. Largire & nobis, ut 2. Cor. 1. 22.
te in periculis animæ & corporis oculis fidei
clarissime intuentes auxilium tuum sentia-
mus, & in imbecillitate naturæ Spiritus tuī
robur experiamur, Amen.

DOMINICA CLEMENTIÆ RE-
giæ, & servilis ingratitude.

Matth. 18. 21.

VT fratribus nostris offensiones remittamus
non deterrere nos gravitas aut multitudo
iniuriarum debet: nam & sapius quam septies Pro. 24. 16.
quotidie iustus cadere potest: imo non tantum Luc. 17. 40
in singula septem, & ad proximum pertinen-
tia, præcepta septuagies septies peccare possu-
mus: sed in decem illas Dei Opt. Max. tabulas,
si diligenter inspexerimus, comperiemus de- Psal. 19. 14.
cies mille talentorum summam reliquam à no- Psal. 38. 5.
bis deberi: & si vere iudicare voluerimus, Psal. 40. 14
multo plus etiam. Delicta enim quis intelligit? Iob. 9. 2.
ut quæ caput nostrum supergressa, adeo capi- Psal. 130. 3.
tis nostri capillos superant, ut propterea animum Ecl. 43. 26.
despondeamus. Si vitiorum & debitorum in- Cap. 59. 2.
stituere computationem conabimur, ne ad mil- 12.
lesimam quidem partem responsuri. Quid igi- Cap. 58. 2.
tur hic consilij capiemus? Certe licet omnia Luc. 17. 10.
Mat. 15. 9.
. . . 2. 13.
vende-

2. Cor. 3 5. vendere nos velle profiteamur, & satis face-
 1. Cor. 4. 2. re: & in hoc omnes nervos intendamus, tamen
 Cap. 7. 3. inutiles seruos nos agnoscimus: & qui ex no-
 Esa. 64. 6. bis ipsis nequicquam boni vel cogitare possu-
 mus. Cur ergo culpam ante peccando contra-
 Etiam, inani satisfactionis & operum obtentis
 augeamus?

Proinde vere regia est beneficentia tua, o
 Pf. 32. 1. 2. cœlestis Pater, quod nobis peccatoribus remit-
 Esa. 43. 15. tis debita nostra, neque imputas nobis culpam,
 Cap. 44. 22 liberos nos plane pronuncians. Vere enim affi-
 Ose. 11. 8. 9 ceris nostris miseris, & onus nostrum in abys-
 Cap. 14. 5. sum maris demergis. Hic autem convenit, ut
 Rom. 14. 4. iusti pronuntiati opera faciamus iustitiæ: & in
 10. 12. a Ioan. 3. 17 fratres etiam nostros benignitatem mutuo ex-
 Cap. 4. 20.erceamus. Neque enim aliter in nobis firma e-
 rit charitas Dei, si non erit etiam in nobis cha-
 ritas fratris: & qui non diligit fratrem suum
 Pf. 18. 25. 26. quem videt, Deum quem non vidit, quomo-
 do diliget? Quod si in proximum duri sumus,
 etiam Deum rigidum iudicem experiemur. Is
 enim benignis benignum, & peruersis intra-
 Etabilem se præbet, & fratrum contemptum a-
 terrime vindicat: ita ut damnatio absque mi-
 sericordia sequatur eum, qui misericordiam
 Iacob. 2 13. non præstat. Remittamus facile offensas: cum
 & nobis mutuo venia speranda sit à benignis:

Et iudicium de fratribus sumere interdictum.

Maxime tamen cum hac lege quotidie à Deo remissionem petamus, dummodo & nos alijs remiserimus. Ne putemus ingratitude nostram Deum latere posse: quem nihil horum fugit. Astant certe & conserti nostri Angeli cœlestes, & qui sunt præterea ex grege Christi contristantur, gemitusque eorum Patris indignationem provocant, ut & ipse vicissim iracunde agat neque parcat. Tu vero, ô benignissime Pater, mentes nostras ad veram gratitudinem inflecte, ut non solum te, sed & fratres nostros diligentes veros iustitiæ fructus feramus, & te semper laudemus, Amen.

Matt. 6. 13.
Pl. 50. 20. 21
I. Cor. 11. 10
Apoc. 22. 9
Ez. 8. 18. 19.

Gal. 5. 19.

Galat. 5. 19.

DOMINICA CONFIRMATI

Romani Cæsaris à Domino. Matth. 22.
vers. 15.

NE quicquam nobis ad perfectam cognitionem Regni cœlestis deesset, etiam mundani regni rationem Salvator habere voluit: cum non Iudæi tantum, sed & alij veritatis cœlestis hostes, ad hunc fere lapidem impegisse videantur, ut quæ diuina esse imperia debeant, ipsi fœde permiscerent. Et quemadmodum dominatum mundanum ijdem contemnebant,

2. Pet. 2. 10.
Iud. Epist.
8. 19.

nebant, sic & scripturae obsequium accommodare renuerent. Denique in civitate Dei seditiosis consilijs se dedentes, humana etiam imperia & vice versa detrectarent. Fuerunt etiam qui cum terrae imperio etiam caeli dominatum ambiverant: & libertatem spiritus in carnis licentiam transtulerunt.

Ne vero ita deinceps erremus: sed huic nostro Op. Max. arbitro in hoc finium regundorum iudicio pareamus. Reddamus cuique quod suum est; Divinum amorem, honorem & timorem Deo. Mundanis in rebus obedientiam Caesari. Deum timeamus: Regem honoremus. Alij currus: alij equos: at nos Iehovae Dei nostri nomen memoremus. Ne iugum Caesaris excutere nitamur, quod semel induimus, quod Christus ipsemet per totam vitam non recusavit. Pendamus de bonis nostris quod iubemur, absque murmuratione: & priusquam veniamus in periculum, servemusue an perdamus, totum dividuum etiam faciamus: & mergi aurum satius, quam cum eodem nos mergi, putemus. Ne obtrectemus potestatibus: & occasionem captemus aucupandae vanae libertatis. In obedientia enim & quiete fortitudo est nostra: alioqui fiet, ut quod veremur nobis accidat, & dum vincula timemus gravissimae servituti subijciamur.

Quod

2. Pet. 2. 19

Gal. 5. 13

Rom. 13. 1. 7

1. Pet. 2. 17

Psal. 20. 8.

Luc. 2. 5.

Mat. 17. 27

Cap. 20. 25.

38.

Esa. 30. 15.

2. Pet. 2. 19.

Ioan. 11. 48

Esa. 30. 16.

Quod si eueniat, ut diuina imperia cum
 Cesarianis aperte pugnent: Deum potius se-
 quamur, & potiore auctoritatem cre-
 damus. Per hunc enim Reges regnant, &
 iudices iusta decernunt. Hic terram homini-
 bus dedit: Cælum sibi seruauit. Ne terram
 ita ambiamus: ut cælum amittamus. Sapi-
 ant & reges ipsi, & corrigantur terrarum gu-
 bernatores. Osculentur filium, & se Domi-
 num in cælis quoque habere cogitent. Ne
 contra Dominum, cum Pharisæis coniuncti,
 consilium capiant: sed hunc in consilio sem-
 per habere laborent, ne frustraneus sit ipso-
 rum omnis conatus. Nullus siquidem contra
 Dominum est consilii, etiam exactissimi, ef-
 fectus. Denique, ut monetæ imago & in-
 scriptio nos de obedientia in rebus externis
 Cesari præstanda monet: ita impressus in a-
 nima à creationis initio, & in baptismo re-
 nouatus character, & imago diuina, potioris
 officii diuini memoriam nobis conseruent.
 Ita fiet, ut pietas veritasq; inter se occurrant:
 iustitia & pax deosculentur se inuicem: veri-
 tas ex terra germinet, & iustitia de cælo exi-
 stat: sic dum fines vtriusq; regni studiose cu-
 stodierimus: aeterni & cælestis imperii
 ciues siemus & manebimus,

Amen.

K DOMI-

Act. 4. 19.

Psal. 115. 15.

Prov. 8. 15.

Psal. 2. 10. 12.

Eph. 6. 9.

Psal. 2. 2. 3. 4.

Prov. 21. 3.

Psal. 82. 1.

Esa. 8. 10.

Psal. 127. 1.

Can. 8. 6.

Esa. 49. 16.

Psal. 85. 11. 12.

Eph. 2. 19. 18.

Psal. 39. 13.

D. PETRI HEIGII IC. 330
 DOMINICA RESUSCITA-
 tæ filia Archifynagogi, & sana-
 tæ hæmorrhousæ. Matt. 9.
 vers. 18.

O Miseriam. Virgo, duodecim annorum
 puella, quæ vix quid vita humana es-
 set cognoscere cœperat, vitam amittit, eam-
 que sava mors tristi funere mergit. Verum,
 ut in mari fluctus fluctum, ita in vita hu-
 mana miseria miseriam trudit. Alia enim
 fœmina, totidem annos continuos cum fœdo
 morbi genere, muliebri sexui peculiari, col-
 luctata, tmnem substantiam in medicos ero-
 gat. Quid istuc vero, ô benignissime sator
 hominum, quod nos in hac miseriarum val-
 le sic cibus pane lachrymarum, & potas nos
 lachrymis copiose, cum tamen vita sit in vo-
 luntate tua? Nimirum deficimus in ira tua,
 & in furore tuo turbamur: quando iniqui-
 tates nostras ponis in conspectu tuo: & ab-
 scondita nostra peccata in illuminatione
 vultus tui.

Bone Deus, quam multis peccatis & la-
 psibus inquinata est vita hæc nostra mor-
 talis: Iniquitatibus & peccatis conspurcati
 ingredimur in hunc mundum: Cor nostrum
 quam

Psal. 84. 7.

Psal. 30. 6.

Psal. 30. 6.

Psal. 90. 8.

Psal. 51. 7.

Gen. 5. 6.

Gen. 8. 21.

Ier. 17. 9.

quamprimum ad concipiendas cogitationes
 aptum est, tantum propendet ad malum, per-
 uersum est illud & inscrutabile: quis cogno- Matt. 13.

scet illud? Ex eo procedunt cogitationes ma-
 læ, homicidia, adulteria, fornicationes, fur-
 ta, falsa testimonia, blasphemie. His adeo in-
 quinatur tota via hominum per omnes æ-
 tates, quantum singulae suis subiectæ sunt
 vitiis. Pueritiæ annos consumimus vani-
 tate. Adolescentia obnoxia est luxuriæ. Vi-
 rilis ætas subiacet ambitioni. Senio infesta

est auaritia. Quid ergo mirum, optimum pa- 1. Cor. 11. 19
 trem cœlestem, expedire virgas & flagella, Prov. 3. 11.
 quibus filiorum suorum prauitatem coerce-
 at & corripiat: ne cum mundo immundo Heb. 12. 6.
 damnentur? Quos enim diligit hic Domi-
 nus, hos castigat.

Da ergo ô mitissime Pater spiritum, da
 ut flagella tua agnoscamus, sub potenti tua 1. Pet. 5. 6.

manu humiliemur, & quascunq; immites
 aduersitates patienter feramus: licet vires
 & facultates omnem ad extremum terunci-
 um vsq; essent expendendæ. Tu nos hic seca hic D. Bern-
hardus.

ure, tantû parce in æternitate. Nõ parcas no-
 stræ iniquitati, in hac vita. Magna equidem
 est ira, si peccatoribus non irascaris. Si quo-
 que nostros per temporalem mortem nobis D. Hiero-
nymus.

K 3 eripias,

- Eripias, largire, ut in beneplacito voluntatis tuæ acquiescamus, memori mente versantes illud, quod Spiritus ipse de pie defunctis in sacras tabulas referre vobuit: Beati mortui, qui in Domino moriuntur: quia requiescunt à laboribus suis. Et licet chara thori nostri pignora interdum morte præoccupentur: non tamen nimium animo turbemur.*
- Apoc. 14. 13.** *Rapta sunt, ne malitia mutaret intellectum eorum, neue peccatorum consortium deciperet animas ipsorum. Quare non scrutiemur animo: nihil mali ipsis accidit: nec nos quicquam impatienter ferendo proficimus.*
- 2. Sam. 12. 23.** *Nunquid ea revocare poterimus? Quin imo nos ad ipsa abibimus, nec illa revertentur ad nos.*
- Heb. 9. 27.** *Cumque hoc statutum sit omnibus hominibus semel mori, & postmodum iudicium:*
- Iesa. 28. 15.** *Caueamus nobis à noxia securitate impiorum, qui dicunt: Percussimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum. Quin potius mature de pia εὐθεωροῖα cogitemus, sic fiet, ut mors nunquam nos imparatos adoriatur, etiam si ante duodecimum annum adueniat. Cupiamus dissolui, & cum Christo esse. Qui enim propter Christum patienter*

patienter vivit, in eodem delectabiliter moritur: & cum B. Ambrosio magna παρηγοία dicit: Non ita inter homines vixi, ut pudeat me ulterius vivere, si Domino placeat: nec mori timeo, quoniam bonum Dominum habemus. Imò in morte exultemus: quia est terminus omnium miseriarum, quem ubi attigerimus, tum incipiet annus retributionis. Is enim, qui pro salute nostra mori dignatus est, & charo precio sanguinis sui nos redemit, quamprimum spiritum ipsi reddiderimus, deducet nos in domum patris sui, in qua locum nobis præparavit, ut illic cælestis suæ gloriæ nos participes faciat, & ostendat nobis gloriam suam, quam habuit ante constitutionem mundi. Ipsi sedenti in throno maiestatis, sit benedictio, & honor, & gloria, & potestas in secula seculorum, Amen.

Paulinus
Presby. in
vita D.
Amb.

Iesa. 63. 41
1. Cor. 6. 20
Ioh. 14. 3
Ioh. 17. 24

Apoc. 5. 13.
Hieron. Vi-
das.

Expectata diu mortis cum venerit
hora,

Da pater vt moriar placide, nec tor-
quear ægre:

Iudiciiq; diem mihi suavem redde
Redemptor,

K 3

Ante

134 D. PETRI HEIGII IC.

Ante tuum supplex vt stem, pie
Christe, tribunal,
Et salver: satis hoc, non est ut plu-
ra requiram.

DOMINICA Β Δ Ε Λ Υ Γ Μ Α Τ Ο Σ Η Ι Ε -
rosolymitani, & finis huius seculi.

Matth 24. v. 15

Mat. 13. 32.
Pl. 102. 27.

VT principio finis respondeat, & cum an-
no ex ictō ipsa etiam meditationum de-
votio in orbem recurrat, sicq; in circulum
quasi conuoluatur, age pia anima, quemad-
modum antea in principio considerasti, quo-
modo Rex cælestis tibi Saluator aduenerit:
ita nunc sub finem meditare, quomodo idem
Iudex sit adfuturus: Neq; enim hæc mundi
machina perpetuum stabit: sed tempore à
Deo præfinito, ipsiq; soli cognito, finem suum
sortietur. Cæli sunt opo manuum Dei, ipsi pe-
ribunt, Deus autem permanet. Ipsi omnes
tanquam vestimentum veterascent, & tan-
quam indumentum Deus mutabit eos.

Deserueramus nos creatorem nostrum:
digni qui in æternū ab ipso vicissim deserti

et

& derelicti mansissemus. Sed ipse Dei filius
 nostri misertus prior ad nos venit, & Oriens ex alto nos visita-
 vit, ut se nobis rur-
 sus iungeret & vniret. Est enim magni illi-
 us Regis filius, cui Pater ex humano genere
 nuptias destinauit. Hunc, ô pia anima, si tu
 per Verbum Evangelij & Sacramentorum
 institutionem ad te toto hoc anni circulo in
 humilitate venientem obuiis vlnis excipi-
 sti, ipse vicissim veluti Sponsus se tibi obli-
 gavit, sponsalia tecum celebravit, seseque
 tibi in iustitia & iudicio, in misericordia
 & fide in sempiternum desponsauit. Et si-
 cuti Sponsus super Sponsam ita super te gau-
 det ipse Deus tuus.

Luc. 1. 78.

Osc. 2. 19.

Ier. 62. 5.

Quare ergo tristis es anima mea? & qua-
 re conturbas te? Nonne propterea, quia tu
 quidem in hac vita cruce premeris: Impii
 autem florent, sunt superexaltati & eleuati
 tanquam Cedri Libani. Sed bene res habet.
 Non perpetuo sic erit. Spera in Deo tuo, quo-
 niam adhuc confitebor illi: quia ipse Deus
 tuus est, & salus faciei tuæ. Imo iam salua
 facta es, sed spe. Spes autem quæ videtur,
 non est spes. Gloriare ergo in spe gloriae fi-
 liorum Dei: & expecta aduentum gloriae
 magni Dei, & Saluatoris tui Iesu Christi.

Psal. 42. 12.

Psal. 37. 35.

Psal. 43. 5.

Rom. 8. 24.

Rom. 5. 2.

Tit. 2. 13.

K 4

Hic

Hic enim Sponsus tuus te non perpetuo relinquet Orphanam. Promisit & dixit: Iterum venio, & accipiam vos ad me ipsum, ut, ubi ego sum, & vos sitis. Ipse promisit, ipse faciet, & hora, qua minime cogitas, media nocte clamor fiet: Ecce Sponsus venit: Exite ei obviam. Para itaque Lampades fide & pietate, & vicissim clama: Etiam, Domine Iesu, veni: veni cito.

Et licet in hoc secundo Regis nostri adventu, caeli magno impetu sint transiituri, Elementa calore dissoluenda, terra & omnia opera quae sunt in ipsa exurenda: nos tamen non timebimus, impavidos mundi ferient ruinae. Quia Dominus ipse nobiscum est, virga & baculus ipsius nos solantur: instat dies redemptionis nostrae: à Sponso nostro domum deducemur. Etenim in hoc mundo peregrini & hospites sumus, inquirimus autem civitatem, Deo paratam, caelestem Ierusalem, in qua multorum millium angelorum est frequentia: & Ecclesia primitivorum, qui conscripti sunt in caelis. In ea erit πολιτευμα nostrum & perpetua conversatio cum Sponso nostro Christo.

Gaudeamus ergo, & exultemus, & de-

mus

mus Deo gloriam: quia venerunt nuptiæ
 agni. Præparemus nos tanquam Sponsa, cuius
 gloria sit ab intus, ut adducamur in læ-
 titia & exultatione ad templum Regis. Ibi
 auferet Deus omnem lachrymam à facie no-
 stra. Completi erunt Dies luctus nostri: nec
 ulla amplius audietur iniquitas, fugiet do-
 lor & gemitus: mors ultra non erit, neq; lu-
 ctus, neq; clamor, neque dolor ultra erit. Sed
 reformabitur humile hoc nostrum Corpus, ut
 fiat conforme corpori Christi glorioso: imo
 futuri sumus ἱσ᾿ ἀγγελοί & in perpetua iu-
 stitia & veritate Sanctitatis semper vide-
 bimus faciem Patris, in cœlis, ubi est summa
 securitas, segura tranquillitas, tranquilla
 iucunditas, iucunda felicitas, felix æterni-
 tas, æterna beatitudo, beata certitudo, ubi
 certa visio, & sine fine laudatio. Ibi afflu-
 entia divitiarum, influentia deliciarum, &
 confluentia omnium bonorum.

Faxit Deus ter Optimus Maximus, quan-
 do quidem hic miseriarū omnia plena sunt,
 & quam mundus pollicetur quietem non
 præstat, ut patriæ huius amore æstuemus, vi-
 tam hanc continua pœnitentia transigamus,
 & firma in Dominum fide cum pace conso-
 piti, olim cœlestis tubæ clangore excitemur,

K S &

Apoc. 19. 7.
 Pl. 49. 14.

Iesa. 25. 8.

Iesa. 60. 10.

Iesa. 51. 11.

Apoc. 21. 4.

Phil. 3. 21.

Mat. 22. 30.

Eph. 4. 44.

Mat. 18. 10.

1. Ioh. 3. 2.

August.

138 D. PETRI HEIGII IC.

Et in nubibus obviam Christo rapti, cœlestibus gaudijs repleamur ab ipso filio Dei, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit, et regnat Deus in Seculorum secula, Amen, Amen, Amen.

MEDITATIO VETUSTA & VENUSTA, de novissimo iudicio, quæ Mantuæ in æde D. Francisci legitur: Coronidis loco addita.

Cogita anima fidelis,
Ad quid respondere velis,
CHRISTO Venturo de cœlis,
Cum à te poscet rationem,
Ob boni omissionem,
Et mali commissionem.
Dies illa, dies iræ.
Quam conemur prævenire,
Obviamq; Deo ire.
Seria contritione,
Gratiæ apprehensione,
Vitæ emendatione.

Dies

MED. DE. NOVISS. IUDICIO

Dies iræ, dies illa,

Solvat seculum in favilla.

Teste Petro cum Sibylla.

Quantus tremor est futurus,

Quando Iudex est venturus,

Cuncta stricte discussurus.

Tabæ miræ spargens sonum,

Per sepulchra regionum,

Coget omnes ante thronum.

Mors stupebit & natura,

Cum resurget creatura,

Iudicanti responsura.

Liber scriptus proferetur,

In quo totum continetur,

Vnde mundus iudicetur.

Iudex ergo quando sedebit,

Quicquid latet apparebit,

Nihil in ultimum remanebit.

Quid sum miser tum dicturus,

Quem Patronum rogaturus,

Cum nec iustus sit securus.

Rex tremendæ Maiestatis,

Qui salvandos salvas gratis,

Salva me fons pietatis.

Recor-

MED. DE NOVISS. IUDICIO,
Recordare IESU pie,
Quod sim causa tuæ viæ,
Ne me perdas illa die.
Quærens me venisti lassus,
Redemisti cruce passus,
Tantus labor non sit cassus.
Iuste Iudex ultionis,
Donum fac remissionis,
Ante diem rationis.
Ingemisco tanquam reus,
Culpa rubet vultus meus,
Supplicanti parce DEVS.
Qui Mariam absolvisti,
Et latronem exaudisti,
Mihi quoq; spem dedisti.
Preces meæ non sunt dignæ,
Sed tu bone fac benigne,
Ne perenni cremer igne.
Inter Oves locum præsta,
Et ab hædis me sequestra,
Statuens me parte dextra.
Confutatis maledictis,
Flammis acribus addictis,
Voca me cum benedictis.

Vt

MED. DE NOVISS. IVDICIÖ.
Ut Consors eius beatitatis,
Vivam cum iustificatis,
In ævum æternitatis. Amen.

F I N I S.



VVITTEBERGÆ,

Typis VVolfgangi Meisneri, Im-
pensis Clementis Bergeri,
Anno M. DCII.

MED. DR. HÖVELL. IUDICIO.
V. G. O. L. D. S. C. H. A. R. T. A.
V. I. D. E. A. M. P. H. I. S. S. I. M. I. S.
I. N. A. M. P. H. I. S. S. I. M. I. S.

1712



V. I. D. E. A. M. P. H. I. S. S. I. M. I. S.

1712
V. I. D. E. A. M. P. H. I. S. S. I. M. I. S.
A. M. P. H. I. S. S. I. M. I. S.



Fd 4021

ULB Halle

3

004 959 558



VP17
m.c.

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
Light Blue	Light Cyan	Light Green	Light Yellow	Light Red	Light Magenta	White	Light Gray	Black
Dark Blue	Dark Cyan	Dark Green	Dark Yellow	Dark Red	Dark Magenta	White	Dark Gray	Black

...is
...IGIL,
...I CLA-
...TORALIS
...arii fide-
...ria,
...VM S'A-
...NGELIA
...nem,
...YSERO,
...TORE,
...afte.
...eifneri

ain 2

Reich. 112

